ANDREÆ PASTÆ BERGOMATIS EPISTOLÆ AD ALETHOPHILUM DUÆ

ALTERA

DE MOTU SANGUINIS POST MORTEM

ALTERA

DE CORDIS POLYPO IN DUBIUM REVOCATO.



BERGOMI MDCCXXXVII.

Ex Typographia Joannis Santini.

SUPERIORUM PERMISSU.

EPISTOLA I.

DE

MOTU SANGUINIS POST MORTEM.



Onnulla de motu ſanguinis poſt mortem, quæ magis veriſimilia eſſe novi, ad te mitto, mi Alethophile; idque eo libentius facio, quia mihi videtur poſſe ad rem quam colis medicam pertinere. Ac primum haudquaquam te latet Cl. Viros cenſuiſſe, ſanguinem poſt mortem ex arteriis in venas compelli; alios quidem univerſum, alios maximam tantum partem; alios plerumque, alios ſemper id accidere. Quæ hercule minus probabilia, ſi rationes ſequi velis, tibi videbuntur cogitanti, tantum ſanguinis una arteriarum contractione eſſe expellendum. Siquidem, ubi opus eſſet pluribus arteriarum contractionibus, rurſus implerentur arteriæ ſanguine; quia ſemel contractæ contrahi iterum nequeunt, niſi cor iterum ſanguinem in eaſdem impellat. Ergo ſi non videtur ſatis eſſe ad exhauriendas arterias, aut ad maximam partem ſanguinis traducendam ex arteriis in venas una arteriarum contractio, quanto minus apta videri debet ea, quæ eſt omnium ultima, quæque collapſis morientis viribus excitatur?

Ceterum non inficior ab exploratis humanorum cadaverum venis arteriiſque, licet diverſa ſenſerint, ſingulos tamen rationes traxiſſe Viros Præſtantiſſimos. Reſponderint autem, an non reſponderint experimenta affirmantibus, univerſum ſanguinem, aut fere univerſum inveniri in cadaverum venis, judicium ſit penes Anatomicorum hujus ævi Principem longe om-

nium celeberrimum D. Joannem Baptistam Morgagnum Praeceptorem meum, cui quantum possum post Parentes debeo, qui in Adversf. Anat. alt. animad. 72. p. 83. inquit: „ in non pau„ cis cadaveribus „ se „ magnam sanguinis partem in arteriis „ observasse. „

Quod si licet opinionem interponi meam, proponam certe quod in canibus expertus sum inverso capite suspensis; ratus in hoc corporis positu ea fore perspicua, quæ in horizontali situ corporis nondum satis responderant. Dissectis igitur quatuor canibus, quos pridie laqueo posterioribus suspensos pedibus enecueram, inveni venarum sanguinem ex posterioribus cruralibus atque iliacis ramis in cavæ truncum inferioris delapsum paulo infra emulgentes venas; in duobus aliis ad emulgentes descendisse memini; quo descenderat quoque in iisdem duobus canibus aortæ sanguis, qui similiter ex cruralibus posterioribus atque iliacis arteriis in aortæ descendentis truncum defluxerat: in prioribus quatuor canibus paulo jnfra venarum sanguinem aortæ sanguis constiterat. Secto deinde thorace, revulsisque hepate, ventriculo, intestinis, & pulmonibus, continuo se se magis magisque subducere cœpit tum sanguis qui aortam impleverat, tum qui cavam venam sic, ut hic in plerisque duos digitos distaret ab hepate; ille quartam attingeret thoracis costam ab inferioribus numerando.

Quin etiam memini, contentum in venis emulgentibus sanguinem plurium eorundem canum eo pervenisse, quo sanguis pervenerat qui in emulgentibus arteriis continebatur: siquidem vasa hæc, neque in iis qui capite suspenduntur canibus, neque in iis qui posterioribus suspenduntur pedibus, sanguine prorsus carent; quippe quæ cum truncis, quibus inseruntur, in utraque corporis positione angulum obtusum efficiunt, qua parte sanguis defluit. Præter hæc ad rem quoque facit quod haud semel mihi vidisse contigit in canibus suspensis capite: sanguis nempe arteriarum cruralium anteriarum, sanguinem venarum ejusdem nominis altitudine æquabat: sed in hisce tentaminibus summa cautio adhibenda est, ne compressa vasa manibus inter secandum, si sanguinem continent fluidum, exhauriantur.

Tran-

Transfeo nunc ad motum illum fanguinis, qui ceffante motu projectitio a corde atque arteriis profecto; in quo animalium vitam confiftere arbitror; oritur: motufque fluminis appellari merito poteft, quia fcilicet fanguis fluminum inftar fertur ad terræ centrum. Siquidem rationi quoque confentaneum eft, non ante coire debere fanguinem, quam deorfum fluat; utique fi impulfus eo fuerit, ubi vi infitæ gravitatis confiftere nequit.

Idcirco quæ ante recenfui experimenta, ut arteriofi venofique fanguinis quantitatem, qui poft mortem in vafis offenditur, videntur ob oculos ponere, fic motum hunc fanguinis luculenter oftendunt. In eo enim corporis pofitu, quo pedibus pofterioribus fufpenfi canes vitam laqueo amittunt, defluit fanguis fere univerfus ex arteriis venifque cruralibus pofterioribus, iliacis, aliifque ad eafdem pertinentibus, dummodo ne vaforum directio impedimento fit defluenti fanguini, defluit, inquam, in cavæ aortæque truncum plerumque paulo infra emulgentia vafa, uti dictum ante eft.

Neque minus hic motus fanguinis apparet, fi capite fufpendantur canes. Etenim in ea corporis pofitione jugulares venæ infra vinculum, arteriæque carotides; itemque venæ arteriæque fucclaviæ, fuperioris cavæ truncus, aortæque arcus, aliaque vafa fanguifera partim quidem in cordis ventriculos exonerantur, partim in inferioris cavæ truncum, & defcendentis aortæ, eorundemque ramos ita, ut fæpe fanguis fere ad vaforum initium, quæ iliaca appellantur, defcendat; fæpe quoque multo altius fubfiftat, maximeque in cavæ inferioris trunco. Quod ubi accidit, tribuendum quidem eft ventriculo, inteftinifque cibo, potu, fæcibus, flatuque diftentis, aliifque imi ventris vifceribus vafa comprimentibus, in quæ fanguis defluere nititur. Ob id commodiffimum eft proceriores & vetuftiores gracilefque moloffos, quorum vafa fortiora funt jeunos incidere; neque uno dumtaxat experimento, fed pluribus uti quam diligentiffime: metus quippe eft, ne huc illuc fanguis, dum vafa explorantur corporis, feratur; præfertim fi idem fanguis in coeundo firmitatem, quam iftiufmodi experimenta poftulant, non fuerit confecutus.

Hinc

Hinc nihil eſt, cur mireris, hujuſmodi ſanguinis motum uſque adhuc, quod equidem ſciam, latuiſſe; cum homines, aut humi ſtrati, aut in lecto cubantes fere pereant; in qua ſane corporis poſitione ſanguinis deſcenſus, qui in perpendiculari corporis ſitu clare perſpicitur, longe minus innoteſcit. Sed neque in iis, qui ſuſpendio multantur, motum hunc ſanguinis potuiſſe percipi dixerim; eo fortaſſe quia non incidantur corpora e furca pendentia. Veri namque ſimile eſt, quum patibulo demittuntur tabulæque imponuntur jugulatorum corpora, illuc ferri ſanguinem unde diſceſſerat, ſimul ac vitam amiſerant. Idem quoque experimur in canibus, ſi poſteaquam ſuſpenſi ſunt capite, in horizontali ſitu ponantur. Quod ſi interdum accidit, ut ſanguis propter firmiorem coitum nequaquam locum mutet; profecto ejuſdem ſerum id faciet, quod ſcilicet globulis permiſtum rubris e grumo ſanguinis, dum cadaver concutitur aut diſſecatur, decidentibus, haud paucos fefelliſſe legimus optimi ſpecie ſanguinis.

Porro neque mirum videri debet, ſi ſanguine refertas interdum venas; arterias vero offenderint vacuas, qui ſanguinem poſt mortem pelli ex arteriis in venas exiſtimant. Ut enim id de ſingulis arteriis affirmare minime auſim, ſic interdum nonnullis accidere, ut ſanguine careant, manifeſtum eſt: quemadmodum etiam conſtat, nonnullas interdum arterias refertas ſanguine, ſocias contra venas ſine ſanguine deprehendi. Quod ubi ſequitur tribuendum præſertim puto mutatæ poſitioni corporis, quam homo moriens habuerat. Nam poſito etiam, quod e. g. in horizontali ſupinoque ſitu corporis, in quo periit, collocetur homo, ſi tamen eadem cadaveris poſitio ſervata ante non fuerit, valde metus eſt, ne, ubi præſertim parum ſanguis coiverit, ſedem mutet. Ceterum ſcire etiam convenit, modo in arteriis, modo in venis, ſæpe ſanguinis variare coitum; ſanguinemque longe facilius ex arteriis defluere, quam ex venis ſolere; eo quod illæ, certe quidem majores, multo minus propter tunicarum robur ac craſſitudinem a circumjacentibus partibus comprimuntur: ob idque haud ſemel obſervaſſe memini, canum ſanguinem ſuſpenſorum capite in aortæ deſcendentis trun-

trunco multo plus descendisse, quam in trunco venæ cavæ inferioris.

His cognitis si morientis ægri positum attenderis, inque eo corpus, usquedum refrigeratum fuerit, permanserit; si deinde tabulæ cadavere imposito vasorum directiones & figuras, quæ corporis respondent situi, in quo homo interiit; partiumque circumpositarum molem, figuram, positionemque spectaveris, ut ut in horizontali aut alio quocunque situ moriatur æger, nullus dubito, quin intelligas, cur scilicet sanguis in his potius locis, quam in illis inveniatur; cur hæc vasa sanguinis attollantur, cur illa subsideant.

Quorum certe usus erit, tum penes eos, qui ad detegendas morborum caussas in morbosorum corporum anatome versantur, tum eos etiam, qui a mortuorum dissectionibus abhorrentes editis aliorum observationibus utuntur, quæ morbi historiam tradunt & cadaveris dissectionem. Scilicet eos falli intelligent, qui, ut credant sanguinem æquali *proportionaliter* velocitate fluxisse per universum viventis corpus, arbitrantur, oportere sanguinem æquali proportione vasa distendere in mortuo. Iccirco, cum nihil frequentius occurrat, tum in sectione cadaverum, tum in eorundem dissectorum historiis, quam vasa cerebri sanguine turgida, aut duræ meningis sinus, aut cordis offendere, tamquam id, quod vel mortem intulerit, vel inter mortis caussas enumerari debeat; scire multum proderit, hoc haudquaquam adscribendum esse vi morbi, sed sanguini, qui nimirum post mortem, partium collabentium pondere, modo sursum pellitur; modo ruit deorsum vi insitæ gravitatis. Cui quoque tribuendas esse intelligent plerasque & quidem insignes auricularum cordis, vasorumque sanguiferorum expansiones, sinuumque cordis, atque in primis dexteri ejusdem ventriculi; quas videlicet nulla indicaverint signa ab Auctoribus tradita, quæ excusso intus contento sanguine minuuntur, & interdum fere penitus evanescunt, quæque Prosectoribus, unde eædem cœperint ignorantibus, negotium facessunt, atque in errorem sæpe numero inducunt. Haud aliter sane acci-

accidere cernimus ſanguiferis cordis, pulmonumque vaſis, cordiſque auriculis, atque ventriculis, quum ſuſpenſi poſterioribus pedibus jugulantur canes. Neque mirabuntur in poſterum, ſi duræ meningis ſinus, cordiſque, ſanguine offenderint vacuos: ſed his vitatis quæ fallere conſueverunt, forte eveniet, ut viam ineant, quæ ad veras morbi cauſſas detegendas perducat. Vale.



EPI-

EPISTOLA II.

DE

CORDIS POLYPO

IN DUBIUM REVOCATO.



Erdifficilem rem & perobſcuram efflagitanti tibi ſi hæſitans reſpondero, ſi pluribus ac ſine ordine ſcripſero, ignoſcas velim, Optime Alethophile, neque enim te magis veritas hac ſuper re, quam me ipſum latet. Quæris, quid ſentiam de cordis Polypo: utrum vivis inſit: an vero excitetur poſt obitum. Negarat quidem, uti non es neſcius, Cl. Kerckringius hujuſmodi Polypum ante mortem gigni; quem tamen falſum fuiſſe plerique putant, propterea quod ex ejuſdem ipſius verbis, ſe Polypum vidiſſe nullum, apparet. Etenim Spicileg. Anat. obſ. 73. p. 145. inquit: „ Polypum cordis, aortæ, & „ quarum non partium illi nobis proferunt, & porro vidiſſe „ aſſerunt: viderunt ii viri, quod vidiſſe ſe dicunt, nec in eos „ cadit vanitatis, vel mendacii ulla ſuſpicio; ſed polypum „ id cordis, aut aliarum partium eſſe, quo vivi afflicti fuerint, in eo quam erraverint non tantum dicere poſſum, ſed „ etiam oſtendere. Servo enim ejuſmodi, quos ipſi vocant, „ polypos ex variis partibus collectos: nihil enim aliud ſunt, „ quam ſanguis, qui poſt animalium mortem refrigeratus & „ grumoſus, duruſque redditus, ex corde, hepate, & ceteris „ partibus extrahitur, in varios ramos diviſus, pro ut ibi in „ cavitatibus variis hæſit, qui polypo narium ita ſimilis eſt, „ ut prima fronte prorſus idem appareat: ſed cum ego ſimilem polypum in animalibus formare poſſim, quoties libuerit: non ægre ferent viri iſti, quos ante laudavi, me hic

„ admonere ceteros, ne propter authoritatem eorum labantur
„ in errorem, putentque id morbi genus adfuisse vivis, cujus
„ in mortuis orta est aliqua similitudo ex concreto in variis
„ cavernulis sanguine: is autem concrescit per admixtionem
„ peccantis cujusdam acidi humoris; quod experientia tuis ip-
„ sa exhibebit oculis, si cani vivo venam secueris, eique spi-
„ ritum vitrioli infuderis; coagulabitur enim continuo san-
„ guis, & qualem in putatitiis illis polypis animadvertimus,
„ concipiet duritiem. „

II. Inter eos autem, qui responderunt Kerckringio, principem tenet locum Vir Summus Marcellus Malpighius, qui Op. Posth. pag. 44. edit. Venet. inquit: „ Quoniam vero, ut fu-
„ se ibidem habui „ idest in dissertatione de Polypo cordis „
„ substantiæ modus, reliquaque accidentia diversa sunt a con-
„ creto sanguine, symptomata quoque vivente animali obser-
„ vantur, quæ ab existentia polypi necessario dependent, nec
„ probabile sit tam brevi excitari, ideo polypum congestionem
„ esse præternaturalem, determinata sanguinis portione excita-
„ tam longo etiam tempore vi morbi credibile est. His acce-
„ dat, frequenter in cadaveribus ita dilatari cordis ventricu-
„ los, & continuata vasa, & præcipue aortam, ut ossea etiam
„ reddatur, vel saltem osseæ lamellæ in interiori superficie,
„ squamarum instar, excrescant, ut in cadavere Eminentissi-
„ mi Cardinalis *Bonacursii*, aliisque exinde observavi; in aliis
„ pariter, cordis ventriculos ita ampliatos conspexi, ut alte-
„ rum cor continere potuissent. „

Deinde Cl. J. Jac. Mangetus Bibl. Anat. tom. 2. p. 2. pag. 124. edit. 1685. hæc Kerckringio reposuit: „ Hallucinatur
„ Vir Clar. dum quod ipsi inter secandum non occurrit, (sci-
„ licet Polypos vidisse ea ratione efformatos quam supra de-
„ scripserunt Clariss. Malpighius, aut alii ab ipso citati Au-
„ ctores) propterea in rerum natura, nec exstitisse, nec exsi-
„ stere pronunciat, & quidquid sub Polyporum nomine apud
„ Authores venit; meras sanguinis refrigerati in cordis ventri-
„ culis, aliisque corporis cavernulis, coagulationes esse asse-
„ rit; quas etiam coagulationes arte perficere noverit, ante
„ inductum tale refrigerium, sc. infuso in venas vitrioli spiri-

„ tu,

„ tu, vel alio aliquo acido apto; quali experimento veluti pro-
„ prio gladio se ipsum confodit: quis enim non videt illum,
„ dum pseudo Polyporum suorum formationem ab acido coa-
„ gulante deducit, aliquid morbifici in sanguine nidulantis,
„ unde illi in cordis ventriculis, & arteriis, nulla infusione
„ prævia, gignantur, agnoscere, sicque solo sanguinis in ca-
„ davere stagnantis refrigerio totum hoc tribuere non posse,
„ quod tamen primo asserendum suscipiebat. Præterea, ut
„ jam advertimus, non tantum repertæ sunt sanguinis coagu-
„ lationes, quales ipse describit, aut quales nos in animalibus
„ a viperis demorsis sæpius observavimus; ——— in quibus
„ color sanguineus appareret, sed aliæ præterea in quibus co-
„ lor ille in totum immutatus videretur; tales superius depi-
„ ctæ sunt a Clar. Malpighio, ut & etiam a Celeberr. Louve-
„ ro in suo de corde tractatu. Et rursus non tantum e pluri-
„ bus particulis similaribus, e sero sanguinis productis, con-
„ fectæ, sed etiam e variis partibus dissimilaribus, fibris sc.
„ venis &c. compositæ. „

Tum Cl. Jo. Conr. Peyerus Meth. Hist. Anatomico-Med. cap. *6.* „ Magnum est „ inquit „ inter grumos & polypum
„ discrimen: illi enim fibris paucis ac laxe confuseque unitis
„ instructi rubent; hic candicat, instar fere adipis, densata
„ atque ordinata fibrarum serie ac robore pollens. „

Postremo Cel. Jo. Fantonus in Schol. obs. *31.* Jo. Bapt. Fantoni 5. p. m. 8*9*. hæc habet: „ Kerckringius in Cadaveribus
„ oriri Polypos vult ex coagulatione refrigerati sanguinis, in-
„ ducta a particulis acescentibus, suamque familiari experi-
„ mento firmare conatur sententiam. Acidum liquorem, ut
„ vitrioli spiritum, in vivi Canis venam infundit, in quo re-
„ pentinam post mortem aperto grumosum, concretumque san-
„ guinem, quasi longe lateque productum, extensumque Po-
„ lypum, offendit. Verum cuilibet occurrere primo potest,
„ quantum diversa sit natura, & conformatio Polypi a simpli-
„ ci sanguine grumoso, atque concreto. Ulterius si hoc dare
„ Kerckringio velimus, ut ab acidi liquoris in vivi Animalis
„ venam injectione Polypi excitentur, errare illum turpius,
„ & secum pugnare, ostenderimus; ipsa enim sanguinis in

„ Polypum concretio ab acido liquore producta generari equi-
„ dem Polypos posse vivente Animali, evincit; Acidum enim
„ in sanguine est: suadet ratio, & chimica confirmat Ana-
„ lysis. „

III. At post irritos Kerckringii conatus adeo cordis Polypi fama crevit, ut jam magnitudine laboret sua; eoque ducta res est, ut alii hodie de Polypo non amplius dubitent, alii familiarem morbum esse contendant. Atque ut plures libros prætermeam, qui haud multum dissitis annis sunt editi, ubi Polypi cordis haud infrequentes esse dicuntur, opus lege Eruditiss. Frid. Hofmanni anno 1732. recusum Venetiis de Medicina Rationali Systematica; & primo tom. 3. sect. 1. cap. 16. §. 7. p. 214. ubi postquam meminit Cl. Auctor Greiselii in Misc. nat. curios. An. 1670. obs. 74. inquientis: „ quotquot catarrho
„ suffocativo, quo homo frequentius morte decedit subita,
„ mortuos aperui, in omnibus corpora callosa, viscida ac glu-
„ tinosa in corde deprehendi; „ & postquam meminit „ Græ-
„ tzium Medicum quendam castrensem, vel quingentos milites
„ asthmate suffocatos incidisse, atque semper vel hydropem
„ pectoris, vel polypum cordis ventriculos & vasa obsidentem,
„ adinvenisse; „ postquam, inquam, horum meminit, ad-
„ dit illico: „ Ipse non minus confirmatius asseverare possum,
„ me quotiescunque copia fuit asthmate defunctos dissecandi,
„ polypum in vasis pulmonum & cordis — offendisse. „

Consule deinde ejusdem operis tom. 2. Pathol. General. p. 3. c. 8. p. 241. §. 19. ubi invenies „ in iis qui subita morte ex-
„ tinguuntur, aut apoplexia, suffocativo catarrho, aut asth-
„ mate convulsivo cum pectoris hydrope vitam finiunt, quan-
„ doque etiam, qui ex hæmoptysi, pleuritide, asthmate hy-
„ dropico extinguuntur, insignis magnitudinis „ polypos „
cor vel pulmonalia vasa occupantes „ reperiri. Ac subinde in apposito scholio legitur pag. 242. „ In veterum monumentis
„ nulla polyporum mentio reperitur, quia parcior vel plane
„ nulla post mortem facta fuit corporum incisio & inspectio,
„ cum tamen testantibus, quæ nostris temporibus fiunt, se-
„ ctionibus in omni fere difficili & gravi morbo non tantum
„ in corde & annexis venis atque arteriis, sed & ultra in ce-

„ rebri

„ rebri sinibus, in uteri aut iliacis vasis, quandoque ejusmo-
„ di concrementa & coagula membranacea reperiantur. „ Demum Præcl. idem Auctor tom. *3*. s. 1. c. 7. §. *43*. p. *95*. de Polypis locutus inquit: „ Diligentior cadaverum morte sublato-
„ rum anatome nos facit certiores, vix tria cadavera occurre-
„ re, ubi non infesti hi hospites conspectui se se offerant. „

IV. Equidem, ut verum fatear, etsi Viro Doctissimo fidem habeo, non adduci tamen possum, ut, quæ mihi non satis cognita nec satis explorate percepta sunt, temere credam. Profecto vix ac ne vix quidem animum ad hoc induxerim, nimirum veros fuisse Polypos, idest ante mortem genitos, qui in eorum corporibus reperti fuerunt, in quibus dum viverent nulla sui indicia præbuit Polypus. Quippe ubi is aut cor, aut cordis vasa occupat *præcordiorum* adest *angustia* docente Insigni Malpighio Op. Posth. p. 44. *pulsus vibratus & intermittens, vasa in jugulo dilatata, frequens animi defectus, brachii torpor, pulsus obscuritas in eodem, & in sterno spasmodicus dolor non semel observatus*. Hæc atque alia recenset Prælaudatus Hofmannus Med. Rat. Syst. t. *3*. s. 5. c. 7. §. 44. p. *96*. *Polypi*, inquit, *initium arguit compressio pectoris, & fixus circa cor dolor, si vero jam incrementum cœpit, præter hæc frequentius, vel levi de caussa, recurrit cordis palpitatio, pulsus variis modis inæqualis & varius est, sæpiusque notabilibus intervallis intermittit. Tum a motu corporis fortiori, vel medicamento sanguinem exagitante sumpto, aut ab affectu animi vehementiori, Dyspnæa & incredibilis cordis anxietas urget. Postremo lipothimiæ frequentia sine caussa evidente, vel quæ a certo corporis decubitu provenit, est in signis Polypi præcipuis commemoranda.*

Idcirco quoties ad sequentes historias, in quibus mihi videntur Polypi desiderari signa, animum refero, toties affirmare non dubito repertos in cadaveribus Polypos solum post mortem fuisse excitatos.

Momma Baxius, homo trepidus, ac hebes, occisus repente a morbo attonito, obtulit secanti chirurgo, cerebrum adeo flaccidum; & membranas ipsius, tam frequenti pituita perfusas: ut opus fuerit, eam spongia detergere. Qua eadem pituita, replebantur utique & venæ, per cerebrum dispersæ; nec minus, sinus falciformis:

mis : & quidem utrobique , tanta copia , ac lentore : ut inde potuerit extrahi , instar longioris alicujus fili . Movente hac concreta pituita non levem polypi suspicionem : sed quem , id temporis frustra quæsitum ivimus in naribus : illum offendimus deinceps inscii , in sinistro cordis ventriculo : in quo simile quid etiam , animadvertit vir diligens , Casparus Bavhinus : sed ex materia adiposa : cum noster polypus fuerit , a concreta pituita. ——— Constabat is , ex alba , ac concreta pituita , inclusa membraneo involucro : & inhærens suis radicibus , carneis cordis fibris , assurgebat bifido trunco , obturatum non minus arteriam aortam , quam venosam &c. Nicol. Tulpii. lib. 1. Obs. Med. 27. p. 53. & 55. edit. 5. Lugd. Batav.

Age nunc Alethophile putas ne signorum Polypi oblitum Accuratissimum Tulpium , qui *trepidi* meminerat , atque *hebetis* hominis?

Sacerdos ætatis consistentis tetra scabie laborabat cum pruritu molestissimo , intensissimaque siti ; cæterum bene videbatur se habere . Nocte quadam ex improviso mortuus est . ——— Cor magnum , non subrotundum , sed depressum valde , & planum . Auricula dextra varicosa ventriculo æqualis . Concretiones Cordis polyposæ in quatuor magna vasa producebantur „ . Jo. Bapt. Fantoni Obs. Anat. Med. 8. p. m. 23.

Deinde Jo: Fantonus Vir Cel. in scholio p. 25. n. 7. inquit: „ Cæterum mors improvisa polypis in Corde repertis , qui in „ quatuor magna vasa producebantur , proculdubio est adscri„ benda; Patet enim , quod majoribus hisce vasis pene obstru„ ctis circulatio sanguinis ita debuit intercipi , ut Homo ma„ neret exanimis. „

Cum Myrtilleti studio Medico vacarem , & inopinato quidam e Serenifs. Electoris Satrapis octiduo spatio a Febre quadam symptomatica jugularetur , exenteratio demandata est Archiatro , & sequentia notatu digna memoriæ infixi. ——— Corde aperto , in sinistro ejus ventriculo , invenimus massam quandam fibrosam , pinguedinem referentem , nulla parte adnatam , sed liberam ovi columbini magnitudine . D. G. C. Winclerus in Miscell. cur. ann. 1671. o. 133. *Vid. Sepulc. Anat. T. Boneti edit. Genev.* 1700. *t.* 3. *l.* 4. ſ. 1. o. 47. §. 3. *p.* 197.

In hujus historiæ scholio legimus „ Nobilem illum nun-

„ quam

„ quam de ulla pectoris angustia conquestum, sine tussi, sed „ exercitio equestri & chorearum quotidie vacabat.

Christianus Sudi Gallus, annorum octo, dum pueriliter scabella & mensas vitulatur, offendit inopinato casu pectus, quod allisum capiti sedibus ictum excipit gravissimum: Ille tamen ne in offensam Parentis incurreret dissimulat factum, sed ex eo tempore ad ludendum segnior, paucis post mensibus pallescere incipit & de ventris doloribus conqueri: *Advocatus ego, lapsusque illius ignarus, præscribo quæ lumbricos excludant; quod ex pallore, ex nubilis sub oculo utroque ductibus, frictione narium, tenso abdomine conjicerem verminare puellum: & quidem eo successu propinata illa pharmaca, ut prodirent tandem lumbrici longi tum per os tum per secessum: Nihilo tamen confirmatior sanitate puer, non ita multos post dies ex ægritudine decedit; -- In dextro cordis ventriculo frustum carneum oblongum, sed nusquam annexum, in sinistro pinguedo item libera, & vermiculo cætera non dissimilis. Ol. Borrich. in act. Med. Thom. Bartholin. ann.* 1674. 75. 76. *vid. Bonet. Sepulc. Anat. t.* 3. *l.* 4. *s.* 3. *o.* 27. §. 4. *p.* 371.

Occubuit in Nosotrophio Adolescens rusticus 20. *circiter annorum, qui a febri maligna, qua laboravit ante, liberatus, ceu ex pulsu aliorumque symptomatum omnimoda cessatione colligere fas fuit, ob errorem in dieta commissum, in dysenteriam funestam incurrit. Hujus sectioni nos accinximus, ———. In cava dexterum cordis ventriculum ingrediente, & pulmonali arteria eodem egrediente, polypi duo insignes hæserunt, sibi invicem contigui, & columnis ventriculi firmiter impacti: mirumque forte, hinc pulsum, qui dum continua laboravit aliquando intermisit summeque inæqualis fuit, eadem depulsa plenarie rediisse. D. Joh. Jac. Harderus Miscell. Curios. Decur.* 2. *Ann.* 6. *vid. Bonet. ibid. t.* 2. *l.* 3. *s.* 11. *o.* 5. *p.* 181.

In alia Viri alicujus Ill. sectione „ *deprehensus* „ *in utroque cordis ventriculo* „ *polypus est, ponderans* „ *dextri ventriculi unciam unam, sinistri vero dragmas* 5. *nihilominus patiens hic immunis semper vixit ab asthmate & convulsionibus; cæterum patiens hic alioquin salacissimus, & a lue venerea, qua ante infectus fuerat, & adhuc dum vexante podagra per plures annos contractus e loco se movere non poterat, quo volebat, portandus erat, cibus*

potus-

potusque per famulum ejus ori admovendus, in tanta quidem quantitate, ut fatigatum per diem triturio validum rusticum saturasset, dormiebat, quietus & placidus, in miserrimo quo torquebatur vitæ statu, naturali quasi hilaritate & jucundis facetiis integrum consortium sine tædio multiloquax detinebat, ad ultimum vitæ fere terminum nunquam tetricus aut tædiosus, donec una alterave septimana ante obitum gravissima tussi corriperetur, cum tam copiosa serositatum acrium & fœtidarum excretione, ut nemo præ fœtore in cubiculo posset subsistere, excretorum humorum acrimonia ita fauces excoriaverat, ut neque loqui neque cibos amplius deglutire potis esset, donec fatiscens, consumptis viribus diem objerit. &c. vid. Bonet. ibid. t. 1. l. 2. s. 1. o. 30. p. 569.

Anni 1662. *Martii* 26. *ante meridiem hora nona rusticus ebrius, ætatis consistentis, ex pugno pectori inflicto supinus sternitur: Extemplo conqueritur de frigore, dolore lumborum, ita ut ægre deambularet, attamen ejus diei vespera extra urbem ad suam familiam se confert, quæ sesqui hora distat, decumbit, sanguinem spuit, punctionibus gravissimis in utroque latere excruciatur, sitis ingens, & tandem mentis vacillatio adfuit, quam excepit convulsio & mors,* 30. *Martii, hora ipsa meridiana.* ——— *Cor vitæ princeps & moderator, illæso Pericardio & ejus aqua, omnino flaccidum: Cum dextrum ventriculum ferimus, apparet materia subalbicans, pancreati omnino similis: Cum tamen simile quid veræ pinguedinis interspersum esset, cum tenacitate, quod nec unguibus cedebat, diversum quid judicavimus: Ventriculus iste præterea sanguine putrido, i. e. sine fibris scatebat: Dum sinistram cordis foveam scrutamur, siquidem dextro thalamo ipsa nobilior audit, etiam parem in ea mareriam & longitudine & visciditate reperimus. Ex his Cordis Polypum dicimus, & uterque ponderabat ad minimum uncias quatuor. M. Bodganus apud Bartholin. Epist.* 11. *Cent.* 4. *vid. Bonet. ibid. t.* 3. *l.* 4. *s.* 3. *o.* 29. §. 6. *p.* 373. & 374.

Elizabethæ Anglæ quinquagesimum jam agenti ætatis annum menstrua octennio ante fluere cessarunt, nunc inde ab anno redeuntia, sed inordinate: Per tres menses eodem Fluore corripitur albo, copioso, summaque cum virium debilitate sensim aucto: adeo ut stanti ambulantique semper invitæ quid destillet: Acrimonia humoris abditi naturæ loci multum erodebantur, urinaque juxta supprimebatur:

batur: Inde grumi sanguinis prodierunt, ingenti cum dolore, præsertim in hypochondriis: Alvus *per dies quinque continuos* adstricta *erat: Adhibita autem incassum fuerant a Medicis excell. pharmaca. Tandem supervenientibus intolerabilibus* circa pubem *& anum* cruciatibus, *& vomitu materiæ biliosæ, mortua est. Cordi Polypus erat. — Ex literis Muralti ad Peyerum. Vid. Bonetus ibid. t.3. l.3. s.36. o.1. p.81.*

Pieter vande Velde sexagenarius, qui -- mendicando vitam sustentaverat, postea valetudinarius in nosocomium delatus est; ubi per tres septimanas commoratus -- obiit. -- Ante sex circiter menses ex victu pravo in Leucophlegmatiam inciderat, quæ paulatim in hydropem Ascyten & hydrocelen scroti insignem degeneraverat. -- Et tumor pedum insignis subortus erat, appetitus autem dejectus, cum perpetuo alvi profluvio, ex dejecto viscerum tono. --. Cordis *autem* cavitas, *ut &* magna ejus vasa, humore viscido, albo & tenacissimo infarcta erant, *adeo ut credibile talem & sanguinem in ipso fuisse. Heurnius in Obs. Hist. 19. p. m. 20. & 21.*

Decemb. 2. 1675. aperui cadaver mulieris 30. ann. Fluxu hæc laboraverat albo jam per septem menses, qui ultimis temporibus gravis admodum, & dolorificus materiæ fœtidissimæ: Urinam parce admodum excernebat, nec unquam sine dolore. -- Cordis *ventriculum dextrum insignis admodum occupabat* Polypus, *tenax valde, albus, fibrosus, extendebat se ad plurium digitorum longitudinem in arteriæ pulmonalis interiora. Blas. P.5. Obs. Med. 5. Vid. Bonet. ib. t.3. l.3. s.36. o.1. p.85. & 86.*

Emin. Card. Melsius septuagenarius, jam menses aliquot de obtuso quodam dolore in dextra thoracis parte ad claviculam conquestus, non simplices catarrhi, quamvis levioris, molestias aliquoties perpessus, aliquam capitis debilitatem advertit, quibus febris sociam se superaddens, 14. ab invasione die Ægrum e medio sustulit, quem convulsio pridie præcessit. --. In thorace sub integumentis communibus, ad finem musculi serrati minoris antici, inter primam & secundam legitimarum costarum, abscessus erat non ita magnus, pure pacuo, albo, æquali & minime fœtido scatens, quod illæsa pleura primam costam corroserat ac transversim disruperat, sine ulla tamen coloris mutatione: Distabat hic abscessus duos digitos a confinio primæ sterni cartilaginis, in dextero latere: dum vixit, in cute nullum hujus abscessus inditium, etiam diligentissime intuentibus apparuit: Pleura sana, pulmonis tunica abscessui propior fibris pleuræ adhærens, callo obducta erat: Pulmonum substantia pure

C refer-

referta: In superficie cordis vesicula erat: In dextero ventriculo Polypi duo, tendinibus mitralium valvularum implicabantur, digiti minoris crassitie, quorum unus e fundo ventriculi in venam arteriosam ramos aliquot spargebat, alter in venam cavam: E sinistro ventriculo alii duo prodibant variis fibris annexi valvulis tam tricuspidibus quam semilunaribus: major in arteriam aortam justo ampliorem ad octo digitos excurrebat. Hen. a Monichen Cent. 2. Epist. 27. Bartholin. vid. Bonet. ibid. t. 1. l. 2. s. 3. o. 3. p. 610.

Mercenarius is fuit, ætatis virilis, anno 1680. Mens. Januar. isto defunctus morbo, ideſt anaſarca. ———. Cordis *ventriculorum dextro inciso polypum, ex sanguine diluto contextum, carnis telam cum cruore congelatam, columellarum radicibus affixam inhærere vidimus. Secta autem caute vena cava cum arteria pulmonali, eandem carneam texturam divaricatam memorata vasa occupasse observavimus, atque ex utraque* quadrantem *ulnæ lunga frusta extraximus, hæ illæ furiæ quæ ægrum excruciarunt, ut semper de ruptura cordis in dextro latere conquestus fuerit perdite. Hartmannus. Miscell. Cur. Decur. 2. ann. 5. Vid. Idem ibidem t. 2. l. 3. s. 21. o. 52. p. 511. & 512.*

Profecto longe minus *de ruptura cordis in dextero latere*, quam de ſumma ſpirandi difficultate queri mercenarium debuiſſe, occupante pulmonarem arteriam polypo, rationi conſentaneum eſt. Siquidem ait Inſignis Bellinus de Morb. Pect. p. m. 437.
„ Adhuc difficilior erit reſpiratio, ſi impedimentum ſit intra
„ pulmones, & pertineat ad ramos arteriæ; tunc enim quantum
„ fere ſanguinis influet, tantum intra pulmones detinebitur. „

Vir robustus trigesimum quintum agens annum, carnosique habitus, acuta febri detinebatur cum difficillimo anhelitu. Accedebat tussicula, pauca primum excreatio, ac fere nulla: lateralis dolor, molestus in dorso decubitus: parvus & celer, tamen æqualis pulsus. Initio Nonæ e vita excessit. Intestina omnia phlogosi affecta apertum Cadaver exhibuit: Hepar tumidum, & in cava parte inflammatum: Pulmonem costis undique adhærentem, sanguine & pure turgidum: Lympham Pericardii copiosissimam, & putridam, quæ Cordis superficiem alteraverat: Denique polyposas in Cordis ventriculis concretiones. Obs. Anat. Med. 4. Jo. Baptistæ Fantoni p. m. 12.

Deme

Deme difficillimum anhelitum, quem facere pulmo affectus inflammatione solet, & inde protinus intelliges, signa Polypi cordis defuisse. Quippe & Erudit. Scholiographus p. 13. censet difficilem anhelitum „ cum tussicula, nulloque excreatu „ conjunctum „ sanguinem hic quoque pro causa habuisse „ videri „ qui fervidus, & in vasis turgens aereas versiculas, & le-„ via premebat bronchia, sensimque inflammatoriam in Pul-„ mone universo affectionem inducebat, ut dolor lateris, ne-„ que in dorso facilis decubitus ostendebant. „

Vir viginti & quod excurrit annorum, febri correptus, in nosocomium delatus fuit, viribus magna ex parte jam prostratis, & corpore extenuato: pulsum parvum & frequentem tussicula comitabatur: Hypochondrium dextrum mox tensum, nunc molle tangentibus se offerebat: sanguinem dehinc sputo commistum tussi reddidit, & respirare difficulter cœpit: Malo persistente febris hectica augmentum sumpsit, unde corpus adeo emaciatum fuit; ut sceleton sola cute velatum optime retulerit, obiit hinc d. 7. Aug. Ann. 1673. ——— Pectus reclusum omnem calamitatis originem prodidit, enim vero pulmones anterius parvos, posterius vero & toto reliquo ambitu, pericardio, pleuræ, diaphragmati, validissime adhærentes, vix ac ne vix quidem integros divellere licuit: Erant hi vomicis purulentis hinc inde pleni: Membrana pleura digiti minoris crassitiem acquisiverat: Pericardium ichore copioso virescente distentum fuit. Superavit quantitas, mensuram dimidiam nostratem: cordis ambitum crusta quædam candicans, levi scalptioue separabilis obtexit, thalami vero dextri cavum polypus occupavit. „ *Jo. Jac. Harderus in obs. Anat. Pract. Vid. Bonet. Sepulc. Anat. t. 1. l. 2. s. 7. o. 24. p. 789.*

Neque hic mihi dubium est, quin spirandi difficultas sit a pulmonibus repetenda *vomicis purulentis*, uti legitur, *hinc inde* plenis.

Maria Halter, puella decem annorum illegitimo thoro nata, misellam quoque educationem sensit. In Orphanotrophium receptam, quum prima vice visitaremus conquesta fuit de multa glandularum in collo & maxillis protuberantia scrofulosa: urgente juxta tussi frequenti, expuitione purulenta, pulsu celeri & crebro, ac respiratione difficili, dum interim facies rubebat, & ægrotula mente sibi

ſatis conſtabat : utrique malo commodis remediis obviam ire tentavimus , licet mali provectio parum boni nos ominari juſſerit : Exterius applicatum fuit Emplaſt. Diach. cum gumm. interius vero pulv. antiphthiſ. cum ſyrup. per coclear. ſumendo. Verum vicit ſæva mors miſellæ vires , eaſque penitus deſtruxit: ægrota d. 7. Junii 1681. *noctu e vivis excedente . ———— . Medium ventrem quum aperiremus , tantum ille laborem non peperit , uti aliorum , neque enim pulmones adhærebant arctius , aut gravius quodpiam aderat obſtaculum : Ichoris tamen fœtidi copia ſcatebat , cujuſmodi ſero flaveſcente , Pericardium etiam refertum erat : Glandula tymus maxima , glandulas exhibuit induratas , calculoſas & ſubatras , ſuis incluſas folliculis , & verſus lobum pulmonum ſuperiorem , lateris ſiniſtri protenſas , atque cum hoc connexas: ipſe hic lobus calculos exhibuit plures , hinc inde in ejus ſubſtantia latitantes ; Lateris dextri lobus purulentus magis erat , unde & materia ſimilis , illo leviter preſſo , per aſperam arteriam ubertim effluxit . Cordis auricula ſiniſtra exigua omnino apparuit , & quaſi tota concidiſſet , dextra contra duplo major , ſanguine grumoſo & polypis vere membranaceis & fibroſis diſtenta fuit , quales etiam in ventriculo dextro obſervavimus . Idem ibid. Vid. Bonet. ibid. t. 1. l. 2. ſ. 7. o. 19. p. 783.*

Tres fuiſſe difficilis reſpirationis cauſſas in hac puella manifeſtum eſt ; videlicet *ichoris fœtidi* copiam in thoracis cavitate collecti , glandulam Tymum *maximam glandulas* exhibentem *induratas , calculoſas & ſubatras* , &c. Pulmoneſque calculis ac pure refertos.

Adoleſcens gravi Peripneumonia , dum hyems erat , laboravit . Opportunis præſidiis , ſpeciatim ſanguinis miſſionibus prudenter iteratis , & ſpecificis ſanguineum coagulum ſolventibus acuta ægritudo ſublata eſt . Supererat viſcidi ſeri in Pulmones fluxio , quæ pluribus menſibus , Ægro ſenſim ad Cachexiam vergente , perſeveravit . Non diu cachecticus victitavit , nam Hydrope univerſali ſuperveniente decem , aut duodecim dierum ſpatio ſine manifeſto pulſu , cum difficillima reſpiratione vitæ finem implevit . Diſſecto Cadavere in conſpectum veniebat dexter Cordis ventriculus naturali longe amplior . Ingens Polypus plurimis appendiculis inter ventriculi ſulcos irretitis orificia vaſorum

sorum corpore suo pene obturabat . Jo. Bap. Fantoni Obs. Anat. Med. 19. p. 52.

Et de hoc ingenti Polypo mihi liceat dubitare . Etenim pene obturatum arteriæ pulmonaris ostium , cordis oppressionem , palpitationemque insignem , atque animi defectionem citius dixerim oportere sequi , quam difficillimum fieri spiritum: Quin imo Inclytus Bellinus negat , spiritum in eo casu reddi difficilem , de impedimentis locutus , scilicet Polypis , tumoribus , adipe , lapidibus &c. quæ in corde , auriculis , vasisque ejusdem offenduntur lib. de Morb. Pect. p. m. 437. his verbis : ,, ,, Si vero sit ad ventriculum dextrum ,, intellige impedimen- ,, tum ,, auriculam ejus , confluxum utriusque venæ cavæ , ,, vel ad eosdem , respiratio nihil patietur mali; &c. ,, Quod vero ad pulsum attinet duodecim dierum spatio haudquaquam manifestum , id velim scias , universali hydrope laborantibus familiare esse; etiam si interdum nullus in corde Polypus ejusdemque vasis occurrat . Quippe sæpe tumor carpi efficit , quominus arteriarum ictus ultimis vitæ diebus magis magisque labentes percipi possint .

V. Sed , etiam si Polypi signa præcesserint ab Auctoribus tradita , dummodo ab alia causa proficisci eadem signa possint , suspicari non desino , hujusmodi Polypos ortos fuisse post obitum . Qua de re mihi liceat in exemplum assumere Cl. Patini Polypum historiamque morbi adducere a Celeberr. Alexandro Xnips-Macoppe præscriptam in Epistola de Aorte Polypo; ubi n. 3. p. m. 3. legitur , Cl. Patinum ,, *ex valida , & activa constitutione sexagenarium factum , sollicitudinum varietate , ac litterariis laboribus attritum , vitaque sedentaria emollitum , duobus adhinc annis in faciei pallorem , cachecticum habitum , & aliqualem extremorum emaciationem inclinasse , cum pulsu inæquali , & perturbato , ac Dispnæa , præcipue dum per plana inclinata ,, digrediebatur ,, , Ptyalismo aliquando copioso , albo , viscidulo , nulla , vel tenui tussi , nullo dolore , aut pondere in præcordiis , vel in dilatatione , aut constrictione thoracis sensibili , nulloque sonitu , aut stertore in respiratione , sed cordis anxietate , tremore , vel levi palpitatione per vices exacerbatis ; quibus affectionibus phlebotomia , catharticis , bechicis , ac sudorificis mederi*

deri consilium cum fuerit; in Hypochausto excitato sudore, omnia symptomata exasperata fuisse, ita, ut Ortophnoicus summo vitæ discrimine ,, factus fuerit ,, a quo repetita venæ sectione emersus, etsi per viginti circiter dies symptomata omnia parum relaxari visa sint, denuo tamen sensibilem cordis palpitationem, respirationem concitatam, anhelosam, ac cum efflatu, uti festinantibus, ac præfocatis contingit, inordinatim, etsi noctu præsertim, vel quacunque levi corporis inclinatione, & membrorum agitatione recurrentes, cum pulsu continuo inæquali, deficiente, ac recurrente exacerbatas fuisse, quibus etiam recrudescentiis repetitam phlebotomiam, quæ sanguinem densæ texturæ, cum crassamento glutinoso, ad instar membranæ superextenso, uti in inflammatoriis affectibus apparet, opem tulisse fertur.

At quamvis Præcl. Auctor, cuncta, quæ Cl. Patinus passus fuerat, mala, ab aortæ Polypo debere repeti, existimet, illatamque ab eodem mortem putet, attamen rationes non desunt, cur eadem adscribi mala aortæ aneurysmati aptissime possint. Non enim me latet, Eruditiss. Virum n. 19. supra recensitæ Epistolæ negasse, aneurysmate aortæ aut cordis ventriculorum laborare Patinum; quippe quia ,, in hisce, ibidem inquit p. m. 24. & 25. ,, -- cordis, & arteriarum constitutionibus Palmum, ac Dyspnæam continuo infestasse, ratio, & eventus ,, suadent; ita enim, Professorem illum Metaphysicum, Aneurysmate in arteria magna extra cor laborantem, decem, aut ,, duodecim annos pulsationem præternaturalem in sinistra ,, Thoracis parte exhibuisse, meminit idem Marchettus, *Obs. ,, Chirur.* 48. Ruyschius, *Cent. obs. med. chir.* 37. Aortæ aneurysma, cum tanta pulsatione, ut manum pectori admotam ,, percuteret, adnotavit; ac Juvenis ille, qui, tradente Heurnio obs. rar. Hist. 28. cor bovino non multo minus exhibuit, assidua palpitatione detinebatur. Quæ omnia, cum ,, in te tantum recurrentia sint, haud tam fixas, & permanentes causas possumus hariolari. ,,

At si mihi liceat hac super re, quid sentiam, libera dicere, sive animo adversandi Viro Experientissimo, deque re medica optime merito; quod inhonesti ingratique esset hominis; crediderim aliquando posse a fixa & permanenti caussa recurrentem produ-

produci morbum. Enim vero poſtea diſſecto Patini corpore deprehenſum eſt aortæ trunci aneuryſma; quippe „ Arteriam magnam „ ait Idem n. 56. p. m. 71. „ ita dilatatam offendi„ mus, ——— ut aliud cor „ in pericardio concluſum æmula„ retur; „ quamquam recurrentibus morbis affligeretur Patinus. Similiterque legimus in Cel. Lanciſii lib. de Aneuryſmat. prop. 53. p. 137. *venam cavam, auriculam, & ventriculum dexterum Illuſtriſs. Jo. Baptiſtæ Palaggi Canonici S. Petri in Vaticano ita dilatatos, ut pugnum admitterent*, fuiſſe; attamen *Nob. hic vir*, inquit Auctor, *cum eſſet in humanis hypochondriaca affectione detinebatur, una cum reverſiva cordis palpitatione, pulſuſque inæqualitate, atque intermittentia; quibus erat obnoxius, cum præſertim animam, vel corpus vehementer exercuiſſet*. *Famulus* deinde *olim curſor Illuſtriſs. Marchionis Spadæ Junioris, nomine Philippus Turci Romanus*; vid. ejuſdem Lanciſii lib. 2. Repent. Mort. obſ. 2. p. m. 255., & 256., *recurrente interdum cordis palpitatione vexabatur, præſertim cum citato greſſu ambularet*, cujus quidem *cor*; vid. n. 4. p. 257., *mole triplo naturali majus; vaccinum certe ſuperabat, cum, ablato pericardio, & expreſſo omni cruore, pependerit in lance libras duas, & ſemis*; cujuſque *auricula, & ventriculus dexter*; vid. p. 258. *ordinariæ diametri, contra vero ſiniſtræ cavitates duplo dexteris latiores occurrerunt. Arteria magna juxta cor pariter perampla*. Meminit Præcl. Idem Auctor in lib. de Aneuryſmat. cap. 6. prop. 47. p. 132. Viri cujuſdam Nobilis frequentem palpitationem cordis paſſi, in cujus cadavere inventa fuerunt dextera cordis *cava ſtricto pugno capaciora*; & in lib. Repent. Mort. obſ. 5. in Schol. p. m. 302. cujuſdam Sutoris nomine Stephani Aſcieri recurrente cordis palpitatione tentati; vid. n. 6. quamquam aortæ aneuryſmate laboraret, cujus *cavitas tam ampla occurrit*; vid. n. 2. p. 297. *ut pugnum facile admiſiſſet*.

Conſtat igitur neque cordis palpitationem, neque ſpirandi difficultatem, requiri aſſiduam, ut metuenda ſint merito hujuſmodi cordis, arteriarumque vitia; quin etiam de aortæ trunci aneuryſmatibus affirmare ipſe poſſum, me ea nundum vidiſſe cum aſſiduo anhelitu cordiſque palpitatione conjuncta. Porro uti aortæ trunci aneuryſmata fere reverſiva cordis comitatur

pal-

palpitatio, sic eadem plerumque sine assidua præternaturali pulsatione non deprehenduntur. Et quoniam, ut Præclarifs. Hipp. Franc. Albertinus inquit in Comm. Academ. Bononienf. p.387. *discernere pulsationem cordis a pulsatione aneurysmatis juxta cor, inter ea merito reponendum est, quæ difficiliorem hujusmodi indaginem reddunt*; fieri interdum potest, ut assidua aneurysmatis pulsatio fallat pro palpitatione cordis habita. Sed in antiquis aneurysmatibus pulsationem hanc paulatim decrescere, tandemque obscurari prorsus ac deficere, docet Lancisius lib. de Aneurysmat. prop. 58. p. 142. idque arbitrarer accidere tum propter aneurysmatis tunicas duriores redditas, tum, ut idem Vir Eximius existimat, propter virium cordis diminutionem propellentis sanguinem. Iccirco non affirmaverim Cl. Patinum sepulta quadam pulsatione jam dudum caruisse, quam sensim postea elanguisse, atque ex toto desiisse, verisimile est, cum aortæ parietes *quasi cartilaginei* evaserint; vid. Epist. de Aortæ Polip. n. 56. ipseque Æger quamplurimis remediis, ac sanguinis missionibus, morboque ipso attritus ac jam prope confectus jamdiu ante mortem fuerit. Verum hæc aliaque omnia Sapientifs. Epistolæ Auctoris meditationi subjicio.

VI. Quid vero, Alethophile, si in corde Polypum, ejusdemque vasis offendas, nec præter hunc quidquam invenias cui prægressa signa Polypi assignes? An ideo haud dubie affirmaveris huncce Polypum ante mortem fuisse genitum? Minime equidem; ut qui haud semel inciderim asthmate atque hydrope sublatos homines, qui signa habuerant Polypi, cum tamen nec ullus in corde vasisque Polypus, nec quodpiam aliud cordis vasorumque vitium occurrerit, cui assignari prægressa Polypi signa possent. Idem expertus sum in Virgine annorum 16. ann. 1728. dissecta. Hysterico afficiebatur hæc morbo cuncta signa Polypi præferente; sed palpitatio cordis adeo ingens per intervalla incidebat, ut cordis ictus auribus quoque aliquantum dissitis perciperetur. Sunt enim interdum in obscuro positæ morborum caussæ, quas neque semper cultro persequi possumus, neque semper oculis subjici consueverunt. Nec raro quoque apparent quæ adversam valetudinem creant; nos vero eas sequi sæpe accidit caussas,

quæ

quæ morbum non faciunt, neglectis prioribus. Ob id Venerabilis Artis Magister Vulg. Morb. lib. *6.* sect. 7. p. 1201. n. 49. typis Genevens. 1657. ἀγαθοῖσι δὲ ἰητροῖσιν, αἱ ὁμοιότητες, πλάνας καὶ ἀπορίας. *Optimis vero medicis*, vertit Foesius, *similitudines imponunt, & difficultates pariunt.*

VII. Nunc mecum ipse cogito, an etiam post mortem fiant, qui sine vasorum dilatatione occurrunt, insignes Polypi. Certe quidem seu post mortem seu paulo ante mortem eosdem nasci verisimile est, animadversis iis, quæ Insignis Medicus ac Geometra P. A. Michelottus edidit in Comment. Academ. Bononiens. p. 435. „ In firmis „ inquit „ ——— quibuslibet „ objectaculis sanguinis fluentis cursum non omnino intercludentibus, ubicunque in arteriarum truncis, existentibus: „ horum contractorum tunicæ tum ab influentibus, tum a refluentibus sanguineis spherulis ad obicum loca allisis, „ magis, quam naturaliter consueverunt, dilatantur. „ Et „ infra. „ Quæ de aortæ trunco, ejusque majorum ramorum „ dilatationibus rupturisque, hactenus expositis rationibus, „ progenitis dico: eadem fere de cavæ quoque, & portæ venæ „ truncis, ac crassioribus ramis intellecta velim. „

Hinc sequitur sive post mortem, sive paulo ante ortam fuisse inæqualem illam ac rotundam substantiam, cavitatem ferme totam opplentem descendentis aortæ Illustriss. Præsulis Spadæ, quam Lancisius Subit. Mort. lib. 2. obs. 4. p. m. 234. ante quædam valvularum cordis sarcomata & exstitisse & eisdem gignendis inservire etiam potuisse, censet, inquiens; „ Quid? quod „ ipsæ quoque viscerum, artuumque convulsiones, decursu „ morbi sæpe recurrentes, liberum sanguinis fluxum a sinistro „ cordis ventriculo per aortam (præcipue descendentem, po- „ lypo fere obstructam) in singulas partes adeo interturbare „ potuerunt, ut, validius repercussis cruoris undis contra prædictas valvulas, forte suapte natura graciliores, istæ tandem „ alicubi findi coactæ fuerint; „ sicque sarcomata illa increvisse arbitratur. Idem etiam affirmari potest de adiposa substantia a Cl. Bontio intra venam cavam reperta Med. Indor. Obs. 8. p. m. *36. 6.* Ait enim *Septembris* 7. *Anni* 1629. *me præsente, apertum fuit corpus cujusdam civis Bataviensis, qui per tres*

annos languerat miro, ac incognito affectu: Nam si supra umbilicum, aut circiter, quis manum imposuisset; Pulsus qualis cordis, ac arteriarum, tam vehemens sentiebatur, instar salientis infantis in matris utero, quæ jam partui vicina est, ita ut manum elevando repelleret. Æqualem fuisse hunc pulsum cum arteriarum & cordis, hoc modo deprehendi: Sinistram umbilico ægri imposui, dextra arteriam, circa carpum, tetigi; invenique in systoles & diastoles intervallo plane convenire. Unde ego statim conjeci arteriam magnam laborare; quod & post mortem invenimus. Nam vena cava repleta erat, loco sanguinis adiposa substantia, ac medullæ spinali admodum simili, quæ, pondere suo, arteriæ vicinæ incumbens, dum illa e contra istud onus a se rejicere conaretur, hunc pulsum excitabat. Arteria magna duplo solito laxior erat, ac repleta sanguine nigro ac seroso.

Post hæc animadverti etiam debent, quæ sæpe laudatus Jo. Fantonus memorat in adnotationibus observationis 34. Jo. Bap. Fantoni p. m. *99.* n. 7. „ sint „ inquit „ ——— polypose in ventriculis „ idest cordis „ concretiones: Quoniam sanguis non placide, lenteque ab alveis venarum, & auriculis defluit, sed illico in Cordis sinus protruditur: Igitur in quacunque Cordis diastole impetus fit ad internos parietes a sanguine ipso projecto. Vis autem ista propulsi liquidi vix ulla est, aut modica saltem in latera Cordis, quando vacui sunt ventriculi; infringi enim in ipso spatio inani, ac veluti extingui videtur. Sed impedita a Polypis cavitate, manifestum est, totum pene in solida impetum terminari: qui licet magni esse momenti nequaquam videatur, sive brevissimum temporis spatium, quo ab auriculis, & venis mittitur sanguis in Cor, sive resistentia crassorum parietum maxime spectetur, tamen non exigui sane ponderis ille idem censendus est impetus, si millies, ac millies repetitus in eosdem parietes perpendatur. Ac ea est impetus indoles, ut ingentes habeat in frequentia, & celeritate vires. Minus quidem scimus diuturno premitu summa pondera præstare, quam uno, pene dixerim, momento vis Percussionis valeat crebris præsertim repetita vicibus efficere. „

His positis, quid de sequentibus Polyporum cordis historiis sen-

sentiendum sit, dum Polypi recensentur insignes, sed nulla inde ventriculorum dilatationis fit mentio, ipse vides, Alethophile; nemo namque nisi Cl. Virorum injuria prætermissam ventriculorum expansionem fuisse dixerit.

Sit igitur I. *Polypum portentosum in nupera sectione publica Adolescentis deprehendi: mortuus est hic hydrope pectoris & pericardii, ———: quum ad cordis examen pergerem, flacciditas ejus ad attactum palpabilis, multum rari non spondebat, at vero cum cavam circa sui in cordis thalamum dextrum ingressum, aperirem, illico polypi indicia deprehendi, inde caute dissecto cordis thalamo, substantia comparuit carnosa, densa, & latitudine totius thalami peripheriam exæquans, ejusque Cavum undique occupans: ———, polypum insignissimum esse, reperi, cujusmodi portentum neque vidi hactenus, neque etiam ab aliis descriptum memini: exæquabat, ceu dixi, latitudine totius thalami interius cavum, pedibusque suis multiplicibus, fissuris ipsius, columnas carneas inter, erat infixus, juxta in arteriam pulmonarem protendebatur, & secundum hujus per pulmones divaricationem, in complurimos ramos dirimebatur: &c. D. Jo. Jac. Harderus Ephemerid. German. Dec. 3. ann. 2. In Bonet. Sepulc. Anat. t. 2. l. 3. s. 21. o. 79. p. 541.*

II. *Nos mulierem alteram vidimus & nomine & genere similiter Claram* (Clara Spada) *quæ cum levi, ut videbatur, febre correpta decumberet, Medicos qui curationi præessent advocavit. Sed cum neque in carpo, neque circa tempora, neque in alia quavis corporis parte micarent arteriæ; sed tantum manu sinistræ thoracis parti admota, subobscurus quidam cordis motus appareret; de ejus salute actum esse pronunciavimus; & morbi caussam, haud aliter ac si oculis ipsis illam intueremur, statim judicavimus: hujus enim ablati motus in ipso corde causam existere certum erat; cum arteriæ omnes motu privari nequeant, nisi obstructo penitus principio unde vis pulsatilis in omnes dimanat.* Ἀσφυξία *itaque laborans, anxia, tristis, & suspiriosa ad quadragesimum diem & ultra supervixit. Huic in sinistro æque ac in dextro cordis sinu carnis frustula in placentulæ morem compressa reperta sunt, quæ totam fere ventriculorum capacitatem oppleverant; unde nihil mirum si attolli valentius ac subsidere arteriarum tunicæ non valuerunt.* „ *Seb. Pissinius Epist. de Cord. Polyp. p. m. 124.*

III. *Vir ebriosus jam olim cibis pepercit, sed vino & Nicotianæ indulsit impendio: quin etiam Sp. V. millies se se dementavit, ac tandem sub æt. ann. 50. frequens convulsus est, sensibus orbus; spumans, & anhelans. Ubi mentis compos est, queritur de capite gravi & sensuum hebetudine; sed præprimis asserit, se se serpentes atque viverras gerere pectore clausas, quæ sibi pulmones gravent atque divellant. Tandem cum plateas Novembri perreptaret cecidit derepente convulsus, cum spuma & stertore, ac intra paucas horas extinctus est. -- Dum cordis recessus indagat „ Præceptor „ dira moles pituitæ fulvæ, tenacis & compactæ ventriculum opplet utrumque. Imo se se exinde per universos venæ & arteriæ pulmonaris diremptus diffundit, tot scilicet pedes polypus ille cordis in pulmones infert, quot profecto pulmonis sunt sanguinei ductus. ——— Non alii certe serpentes, nec aliæ viverræ fuerunt, de quibus vir ille toties questus erat, quam polypi illius pedes per pulmonis sanguinea vasa longe lateque protensi, atque sua crassitudine sanguinis a corde in pulmones impulsi liberum iter intercipientes. E Thes. Discipul. C. Derelincurt. Vid. Bonet. Sepul. Anat. t. 1. l. 1. s. 12. o. 7. p. 296.*

IV. „ *Insigne exemplum „ polypi propter longam mæstitiam orti „ in Viro forti admodum & robusto, sed tandem graves ob causas afflicto, nuper observavimus, utpote qui ex magno animi, & corporis vigore eo usque intra paucos menses tristitia dejectus est, ut pulsu valde debili, & intermittente cum frequentibus suspiriis, Cordis gravamine, & paulo ante obitum totius corporis refrigeratione magna laboraverit, neque fortioribus cardiacis intus exhibitis, aut pannis calefactis extra applicatis, media licet æstate, ullo modo refocillari potuerit, in cujus Corde, post mortem aperto, magnum polypum, sive carneam molem ventriculos ejus, & præterea vasa majora sanguifera in pulmone fere penitus opplentem invenimus, cui omnia hæc symptomata merito imputari debuerunt. Ric. Lowerus de Cord. cap. 2. p. m. 145. 146.*

V. *Il y a quelques années que j'y decouvris plusieurs trous de figure inégale, dont les uns sont plus, & les autres moins grands & profonds: j'en fis la decouverte en examinant la profondeur des racines d'un polype fort considerable qui s'étoit formé dans le ventricule droit „ cordis „ d'un homme mort d'une fiévre lente, precedée, & ensuite toûjours accompagnée d'une violente palpitation de Cœur:*

Cœur : &c. M. Raym. Vieussens Traité de la struct. du Cœur ; Chap. 15. p. m. 100.

VI. *Anno 1677. Pater* Angelus Seraphinus de Rattis *Canonicus Regularis* Lateranensis *ex improviso timore ex fulmine ægrotaverat cum dolore gravativo lateris, deinde sanguinis sputo per geminos annos, & præcordiorum angustia. In hujus secto cadavere pulmo tuberculis scatebat. In dextero cordis ventriculo polypus totam ejus concavitatem replebat, subalbis pelliculis congestus, & per cavam extendebatur. M. Malpighius Op. Posthum. p. m. 45.*

VII. *Mense Octobri, anni 1663. secuimus & demonstravimus cadaver juvenculæ circiter viginti trium annorum, quæ vivens diu conquesta fuerat de summa cordis anxietate & palpitatione, ac lypothymias sæpe passa, sicque tandem vitam finiverat: in quo cadavere etiam tale frustum adiposum, dextrum ventriculum fere replens, & aliud parvum in sinistro ventriculo invenimus, atque diligentiore examine instituto, animadvertimus, illud non fuisse corpus aliquod ex sanguinis coagulatione genitum, sed re vera corpus adiposum ac firmum, quod digitorum frictione non dissolvebatur. Isb. de Diemerbroeck Anat. l. 2. c. 9. p. m. 372.*

VIII. His perlectis, Alethophile nullus dubito, quin tu quoque cum Cl. Viris respondeas, persæpe in morientibus vel Polypos gigni, vel plurimum augeri; ut proinde nihil caussæ sit, cur miremur, sine ventriculorum cordis expansione sæpe Polypos deprehendi: sæpe quoque eosdem offendi sine signis Polypi præcedentibus obitum. At si vis cordis Polypum fieri augerique eo modo, quo in vesica adolescunt calculi, aut tartareæ in aquæ ductibus concretiones excitantur, vix quidem assequor tam brevi excitari Polypum posse, aut insigne incrementum capere. Nam exiguo tempore non videtur secedere nisi exigua pars sanguinis posse, quam neque coitu firmiore frui, verisimile est, utpote quæ non fuerit cordis sanguinisque ictibus diutius exposita. Ideoque si quas putas in morientibus concretiones accidere, profecto id discriminis interesse, nimirum inter Polypos jamdiu ante mortem factos atque eos, qui paulo ante mortem fiunt, æquum esse dixerim, ut hi rudimenta potius Polyporum (qualia ab se reperta fuisse memorat in lævo cordis ventriculo Cl. Patini Præstantiss. Macoppe in Epist. de Aort. Polyp. n. 56. p. m. 73.) rudi-

rudimenta, inquam, potius Polyporum, quam Polypi dici queant. Quod sane discrimen tantum abest ut in supra recensitis historiis appareat, ut etiam aperte constet in prima quidem historia, uti animadversum jam est; Polypum fuisse *portentosum, insignissimum totius thalami*, idest dexteri, *peripheriam exæquantem*; in altera *carnis frustula* inventa fuisse *totam fere ventriculorum capacitatem opplentia*; in tertia *diram molem pituitæ fulvæ, tenacis & compactæ*, quæ *Polypi* quoque nomine insignitur, *cordis utrumque ventriculum opplevisse*, legitur. Quarta historia *Polypum* proponit *magnum, sive carneam molem cordis ventriculos, & majora sanguifera in pulmone vasa fere penitus opplentem*; quinta *admodum insignem Polypum*; sexta *Polypum dexteri ventriculi totam concavitatem replentem, subalbis pelliculis congestum*; ultima demum *frustum adiposum dexterum ventriculum fere replens, revera corpus adiposum ac firmum, quod digitorum frictione non dissolvebatur*.

Præter hæc si hujusmodi Polypos paulo ante mortem ortos esse existimas, id quoque fatearis necesse est, asphyxiam scilicet, qua diebus quadraginta & amplius Clara Spada laboraverat; quamque a carnis frustulis ortam putat Cl. Pissinius, fatearis, inquam, necesse est ab alia caussa profectam fuisse; itemque ad Polypi pedes referri non debuisse serpentes atque viverras ebriosi pulmones gravantes atque divellentes; neque inæqualem atque intermittentem pulsum cum frequentibus suspiriis ac cordis gravamine viri fortis a Cel. Louvero recensiti, neque palpitationem cordis, cujus meminit Præcl. Vieussenius, neque sputum sanguinis per geminos annos cum præcordiorum angustia A. Seraphini de Rattis; neque anxietatem cordisque palpitationem, ac frequentes lypothymias, quas passa diu fuerat memorata a Cl. Diemerbroechio Juvencula, a cordis Polypis originem habuisse. Id si fatearis, vides quantum roboris accedat superioribus meis literis, quibus probare conabar, etiam si Polypi signa præcesserint, nec desiderentur in cadaveribus Polypi, non ideo tamen certo affirmari debere, eadem signa a Polypis esse repetenda: Sin neges caussam etiam afferas oportet, cur tamdiu ante mortem nati Polypi cordis ventriculos non dilataverint.

IX. Hic

IX. Hic jam, putas ne, inquies, cordis parietes vaſorumque ſanguiferorum aliquando a Polypis fuiſſe dilatatas? ἐν τριόδῳ εἰμὶ λογισμῶν. Et ſi tibi arduum videtur, me in omnibus eſſe dubium, me quidem certe haudquaquam ſatis perſuadere, ſcias, allatas hac ſuper re ab Auctoribus hiſtorias. Quarum primam a Cl. Hombergio petunt in Academia Scientiarum Pariſienſi propoſitam ann. 1704. p. 159. *Hiſtoria autem ita ſe habet,* inquit Laudatus Lanciſius libro de Aneuryſmat. prop. 57. p. 141. & 142.

Matrona annorum 35. ante ſex annos pulmonum malo affecta me conſuluit. Hujus ſymptomata erant dirum aſthma, frequens, & magnum capitis malum, cum perpetua vigilia, & doloribus pectoris: cum vel minimum ſe dimoveret, aſthma adaugebatur, accedente violenta cordis palpitatione: quæ interdum perſeverabat per horam, vel ſeſquihoram; aliis etiam paſſionibus vexabatur, quarum non memini, & quæ invicem ſuccedebant: unde nobis mulier ſæpe morti proxima reddebatur. Per id temporis, quo eadem majori vexabatur palpitatione, atque aſthmate ſimul patiebatur magnam, ac ſenſibilem venarum colli, & brachiorum pulſationem paulo diverſam ab illa, qua arteriæ detineri ſolent. Quæ quidem venarum pulſatio exacte ſequebatur cordis motum.

„ Hujus vero „ pergit Lanciſius „ venarum motus rationem „ ipſe allaturus „ Hombergius „ præmittit cadaveris diſſectionem „ per quam cor duplo majus inventum fuit, & ſubſtantiæ flaceſcentis. Cava ſolito erant ampliora, & graciliora, aderant in utroque arteriarum trunco polypi cordis parietibus „ adhærentes, & ad duorum pedum longitudinem, præſertim „ per aortam diſtributi. His poſitis Auctor comminiſcitur venarum pulſationem pendere potuiſſe ex ſanguine, qui cum „ citra obſtaculum deſcenderet in cor, cum nullus in venis polypus adeſſet, ſed libero ejuſdem itineri repugnarent polypi „ arteriarum, neceſſario dexterum cordis ventriculum implebat, & convulſivas contractiones, & palpitationes ciebat, „ unde ſanguis in venis contentus, facto impetu in valvulas „ repellebatur in cavum, & ob fortem repulſionis impreſſionem communicabatur venis cordi vicinioribus pulſatio ſimilis illi, quæ ſentitur in arteriis: & quoniam pulſationes iſtæ

„ pro-

„ producebantur a convulsivis cordis contractionibus , illas „ exacte sequebantur. „

Ut igitur pro certo habeam, cordis Polypos ventriculorum expansionem fuisse secutam, illud etiam pro certo habeam necesse est, non modo ante exstitisse Polypos, quam e vita discederat Nobiles Mulier; sed etiam antequam cordis ventriculi dilatarentur. Sed qui credere hoc possum, si ne illud quidem satis intelligo? Quippe alibi, sine ullo Polypo dilatatos cordis ventriculos secutam cordis palpitationem fuisse, legimus. *Ex prælectionibus Dominici de Marchettis non semel audivi*, inquit Præcl. Macoppe, ——— in *simili affectione*, idest cordis palpitatione, *dexterum cordis sinum ita dilatatum, ut tenuem membranam referret*. Vid. Epist. de Aort. Polyp. n. 19. p. m. 24. Ill. Juvenis qui *præviis cordis palpitationibus*, *& sanguinis sputo syncope interiit*, *cor grandius redditum*, *& cruore infarctum* invenit Osvvaldus Grembs. l. 2. c. 1. §. 8. *Insignemque utrius cordis ventriculi*, *& auriculæ* ——— *prolatationem cum solertissimo Santorino*, *& Spectato Cheirurgo Gaet. Manfre in cadavere Cel. Hyacinthi Mariæ de Juntis*, cordis palpitationem passi *cum pulsuum intermissione* vehementem, observasse se meminit Doctiss. Michelottus in Comment. Acad. Bononien. p. 431. Ad jugularium venarum pulsationem quod attinet, proficisci ipsa quoque potest ab expanso dextero cordis ventriculo; quam Insignis Lancisius quoque lib. de Aneurysmat. prop. 57. p. 141. a dexterorum cordis cavorum dilatatione repetit his verbis: „ Primum quidem hisce cavis summe dilatatis, atque ampliatis „ longe major sanguinis copia in iisdem congeritur. Deinde „ orificium caudicis venæ cavæ amplius quoque fit, quam ut „ possit ab appositis valvulis omnino præcludi. Hinc propterea fit, ut contracto corde sanguis ex dextero ventriculo non „ solum in pulmones per venam pulmonicam impellatur, sed „ cum præ nimia copia, tum etiam ob non satis clausum „ ostium venæ cavæ superius repellitur, ac repercutitur, atque ex ipso recte in jugulares vehementius fertur, quam in „ cæteros cavæ ramos: quod illæ in directum sitæ sint ad lineam hujusce motus. Quamobrem cum ob auctam sanguinis molem, & cum ex conflictu sanguinis per easdem jugula-

„ res

„ res ex capite versus cor contrario motu refluentis ; ex quo
„ veluti quidam æstus in euripo excitatur , ac fluctuatio , ju-
„ gulares eo loco necessario distenduntur , ac dilatantur a san-
„ guine quaquaversum urgente, &c. „

Ubi Te admonitum velim, ad excitandam jugularium venarum fluctuationem , haud semper requiri dexteræ expansionem auriculæ: Scias enim me dissecuisse duorum cadavera hominum, qui nonnullis ante obitum mensibus hac venarum colli pulsatione laboraverant , accedente per intervalla palpitatione cordis , spirandi difficultate , animi defectionibus , non sine inæquali intermittentique continenter pulsu: quorum alter dexterum cordis ventriculum duplo majorem exhibuit , lævumque pulmonis lobum calculis scirrhosisque obsitum glandulis ; in altero adeo dilatatus dexter cordis ventriculus apparuit , ut residere in eodem aliud molis ordinariæ cor haud difficulter potuerit : itemque huic immani ventriculo adhærebat pericardium , quod a lævo ventriculo intermedia veluti *gelatina* quadam nonnihil distabat. Neque in duobus hisce cadaveribus polyposi quidquam occurrit, seu in cordis ventriculis, auriculisque, seu in majoribus ejusdem ramis.

Alteram deinde historiam , qua scilicet vasorum expansionem parietum a Polypis inductam fuisse putant a Cl. Panarolo mutuant Pentecost. 2. obs. 11. descriptam , quam Lancisius quoque lib. de Aneurysmat. prop. 38. p. 125. his proposuit verbis: *Religiosus quidam cum esset quadrato corpore, ante multos annos passus fuerat Aneurysma sub axilla dextera. Huic consulentibus Medicis , singulis quibusque annis maxima ex brachio opposito sanguinis copia hauriebatur . Accidit in eo tempore , dum nunquam tam jucundus , & promptior esset ad vitæ functiones , illi repentina mors . Secto cadavere , venam azigos maximopere turgentem inveni , ita ut rumpi videretur . Venæ item , & arteriæ omnes , quæ musculos intercostales dexteros irrigant, summopere tensæ, plenæque erant, ita ut dum sectio fieret , circa claviculam , & axillam maxima sanguinis copia redundaret . Sed, quod maxime admirandum fuit , arteriæ axillaris inspectio , ipsa enim non ut in reliquis Aneurysmatis rupta, & corrupta erat , sed undequaque integra. Ea tamen differentia, quod circa arteriam , & venam axilla-*

rem, atque intra cavitatem arteriæ caro quædam alba, ſolida, dura, & cartilaginoſa maximæ portioni tam firmiter adhærebat, ut ſecerni nullo modo poßet, imo ferro mirifice reſiſtebat. Unde cum via ſanguinis naturalis, & vitalis ad irrigandum brachium ex inſigni interna obſtructione, paulatim clauſa eſſet, retrocedens ſanguis cor ſuffocando, patrem illum inopinatæ mortis falce reſecavit.

Neque hæc Panaroli hiſtoria adeo perſpicua eſt, ut ſtatim aſſentiar axillarem arteriam fuiſſe *undequaque integram*. Quippe Cl. Auctore memorante, *venas arteriaſque omnes, quæ muſculos intercoſtales dexteros irrigant, ſummopere* tenſas plenaſque fuiſſe &c. mihi certe non videtur ex illis ipſis tantum ſanguinis, *dum ſectio fieret circa claviculam & axillam*, effundi poſſe, quantum in hiſtoria dicitur redundaſſe. Hinc dubitatio ſubit, an ſcilicet ante Religioſi illius obitum diſruptum fuerit aneuryſma axillaris arteriæ; mortemque an repentinam intulerit ejuſdem ruptio; cum nulla alia ex ea hiſtoria cauſſa appareat, cui mors illa repentina aſſignari queat. Eoque magis dubito, quod caro illa arteriæ tunicis *tam firmiter* adhærens, *ut ſecerni nullo modo poſſet*, aneuryſmatis hiatum claudere poterat, Panarolumque fallere; quem quoque deceptum non fuiſſe, cartilaginoſam appellando carnem, affirmare non auſim; quippe qui haud ſemel quidem aneuryſmatis parietes in cartilaginem converſos viderim, Polypum vero neque ipſe unquam, neque alius quiſpiam, quod ſciam, viderit. Ceterum dehiſcente ante mortem aneuryſmate axillaris arteriæ, arbitrari convenit, repertam circa arteriam & venam axillarem, atque intra cavitatem arteriæ carnem, nihil aliud fuiſſe, ut late infra explicare enitar, niſi cruſtam ſanguinis tum intra arteriam concreti, tum extra eandem effuſi, cartilagineis antearyſmatis parietibus undique adhærentem, utpote qui fere ſunt aſperi; cum contra aneuryſmate haudquaquam aperto, fatendum ſit aut carnem illam tunicarum aneuryſmatis excreſcentiam fuiſſe, qua de non agitur; aut partem alteram hujus carnis, quæ ſcilicet intra arteriam occurrit, appellari debere Polypum; alteram, quæ circa arteriam atque axillarem venam reperta eſt, aneuryſmatis venæque axillaris excreſcentiam, quæ quidem accuratius deſcribi oportuiſſet.

Tertio loco ponunt aneuryſmatis hiſtoriam arteriæ cæliacæ

a Ni-

a Nicolao Larcheo Chirurgo Romano diſſecti, a M. A. Severino de Noviſs. obſ. Abſceſs. cap. 2. pag. m. 280. allatam: nimirum *Anna Burgunda trigeſimum tertium annum nata craſi exuberante ſanguinea, potatrix meri nulli ſecunda, ingluviei ſumme dedita, febrem incurrerat ſtipatam ſiti, cibi faſtidio, vigiliis, ortopnæa, corporis jactatione, aliiſque ſymptomatis, & affectibus: inter quæ non obſcurum locum habebat pulſatio vehemens ſupra ventriculum, quem pulſum ego, qui accerſitus curationi fueram, arteriæ cæliacæ multis animo meo verſatis Medicus conjeceram, quibus elevandis malis neque detractus ex Saphena Sanguis, neque alia multa, quæ de victus, & pharmaciæ genere curavimus agenda, profuere: verum in dies augeſcente pulſatione, diutinos labores, & extrema virium detrimenta jam paſſam mors occupavit. ——— Exorti igitur ab inferioribus poſtquam ad arterias emulgentes pervenimus ſuperata jam parte, qua Magna arteria primos divaricatus ſentit, corpuſcula offendimus tria ex pituita concreta (hujus uber eſt modus arteriæ longeque amplior quam venæ) vi caloris, opinor, ſibimet ipſis incumbentia, quæ obturabili cujuſdam modo arteriæ ductui ſic offarcta tranſverſim erant, ut ſpiritui ſe transfundenti præcluderent viam; continuo autem ad ſuperiora facto tranſgreſſu, tandem cæliaca ſe ſe obtulit, ita dilatata, ut compreſſum pugnum admitteret, quæ naturæ ſuæ modo vix annularis digiti craſſitudinem æquat: in quo ſinu ſanguis abunde ſtagnabat ater, grumoſus, in putredinem abeuntis imaginem præſeferens; a quo uno arteriæ ſic depravato ſtatu profectam interitus cauſam, nemo eſt qui dubitet.*

Recenſent ultimo hiſtoriam primam Obſerv. Anatomico-Med. Clar. Jo. Baptiſtæ Fantoni: „ Vir „ inquit „ *habitus corporis carnoſi laborabat frequentibus animi deliquiis, & vagis ventris doloribus, cum febre continua, pulſu duro, urinis craſſis, paucis turbidis, & genitalium partium dolore. Tandem ex præfocatione, & lipothymia, cum notabili totius corporis marcore interiit. Repertum eſt in Cadavere magnæ Arteriæ amplum ſatis Aneuryſma paulo ſupra iliacas: & infra locum Aneuryſmatis, craſſiſſimi aderant polypi, qui ſanguinis fluxum verſus iliacas impediebant. Aderat etiam non modica cruoris intra Meſenterii tunicas, & circa Renes effuſio*. Hæc inſuper habet in Scholiis Eruditiſſi-

mus Filius Jo. Fantonus n. 8. p. m. 3. videlicet ,, Modo si
,, Aneurysmatis ratio habeatur, succedaneum fuisse poly-
,, pum, & Aneurysmatis, ut ajunt, effectum nemo non fa-
,, cile putaverit; cum familiaris sit polyporum, vel aliarum
,, concretionum in magnis Aneurysmatibus productio. Ita so-
,, litarii generatio polypi minus foret conceptu difficilis, post-
,, quam Aneurysma præcessisset. Nos autem ab hac plurimum
,, sententia removet tam polypi situs, atque contitio, quam
,, origo symptomatum. Crassissimas nempe concretiones adno-
,, tat Historia non ad latera Aneurysmatis cohærentes, ut iis
,, solent cohærere, sed infra locum ipsius in arteriosum cana-
,, lem intrusas. Initium quoque Ægritudinis patefactum est
,, iis ipsis symptomatibus, quæ maxima erant indicia poly-
,, porum, ut Historiam perlegentes intelligent. ,,

Cui quidem dubitari jure merito posse reposuerim, præcipua ne sint polypi indicia, quæ æque possunt proficisci symptomata ab aneurysmate aortæ. Profecto ubi in aneurysmate sanguis segnius movetur, ideoque propulso a corde sanguini vehementius resistit; in lævo cordis ventriculo immorari plus æquo sanguinem necesse est, nec, uti convenit, effundi. Hinc defectiones incidunt animi, vagique ventris dolores fiunt, distractis præsertim arteriæ tunicis, compressisque nervis, qui ad has illasve partes ventris pertinent. Ideoque Doctissimus F. H. Albertinus in Comm. Acad. Bononiens. p. 388. observasse se inquit; *aneurysmata orta longius a corde dolores vehementiores secum identidem traxisse: non quod osseis, frequentissime obviis, squamis essent referta (his enim in Vepfero quoque aorta fere tota scatebat, nec dolores aderant) sed quod vel ob peculiarem suæ figuræ modum, sanguinisque impulsum, ac indolem impensius, celeriusque in suis fibris distraherentur, vel tendinem seu nervorum truncum, aut aliam sensibilem partem, in primis contra os aliquod, suis ictibus impellerent*. Quæ vero de situ conditioneque dicuntur polypi ab eodem Viro Præstantissimo Jo. Fantono postea attingam; illud tantum hic loci præterire nequeo, multo scilicet verisimilius mihi videri ventris dolores, animique defectiones ab aortæ aneurysmate oriri posse, quam rationem assignari, quamobrem crassissimis Polypis sic aortæ insidentibus, ut ad iliacas arterias

terias aditus prohiberetur ſanguinis, quamobrem, inquam, genitalium dumtaxat dolor partium fuerit excitatus. Quæ ſane cognitu difficilia admodum cum ſint, multo magis ea, quæ de tribus corpuſculis aortam ſuperiori loco occludentibus Larcheus retulit, videri debent ſcrutanti, ut inquit Celſus, ſine ambitione verum.

X. Venio nunc ad cauſſas Polyporum, quas ſane alias atque alias eſſe ſtatuerunt Viri Præclariſſimi. Plerique enim ab acidis fieri; interdum propter terrorem excitari; interdum poſt morſum cœpiſſe viperæ; interdum poſt epotam aquam frigidam. Eorum vero, qui ab acidis effici ajunt Polypos, princeps eſt Inſignis Malpighius: inquit enim Op. Poſth. p. m. 44. „ Hunc „ itaque „ intelligit Polypum „ non raro in cordis ventri- „ culis, & præcipue in dextero, & appenſis vaſis, excitari „ habui in melancholicis, lue gallica affectis, reliquiſque, in „ quibus coagulativi, acidique ſales luxuriant. Hos autem a „ minimis fibrarum inchoamentis fieri ab acidis, quaſi ferru- „ minantibus, conjectavi, deficientibus inſuper volatilibus „ particulis ab aere communicatis, quibus debita ſanguinis „ fluiditas conciliatur, & manutenetur. „ Plures deinde hujus ſententiam ſecuti ſunt; plures etiam minus probant, poſtquam ſcilicet de acidis in ſanguine degentibus dubitari cœptum eſt, cauſſaſque morborum inquiri alias. Equidem ſit ne acidum in ſanguine, an non ſit, animadvertere minime auſim, quippe qui a ſummis Viris agitatam eſſe rem videam; neque experimenta alterutri addicta opinioni, neque rationes habeam, quæ in illorum contentionibus prodeſſe quicquam poſſint. Minime tamen vero proxima mihi videtur eorum curandi methodus, qui ab acidis in ſingulis ferme morbis, etiam ibi, ubi maxime profutura ſunt, nimium abhorrent, perinde quaſi intus aſſumpta ſanguinem cogant: quod quidem haudquaquam faciunt, propterea quia coagulandi vim amittunt, priuſquam compellantur in orbem ſanguinis. Sic tuto commiſtam ſpiritui vitrioli nitrique aquam bibimus ad ciendam urinam; ſic ad ſiſtendum alvum immaturis meſpillorum ſuccis utimur, roſarumque rubrarum recenter expreſſis; quos tamen ſcimus, ut primum in venam canis injecti fuerint, repente mortem inferre cogendo ſanguinem. Porro memini me præteritis annis nonnullos

diſſe-

diſſecuiſſe canes vivos, nec ulla coeuntis indicia ſanguinis ſeu in corde ſeu in ſanguiferis vaſis deprehendiſſe, quamquam indita in æſophagum fiſtula in eorundem ventriculum injeciſſem, ſex & amplius ante diſſectionem horis, alias ſpiritus vitrioli uncias tres, alias ſpiritus nitri, alias aquæ fortis quantitatem eandem. Itemque memini arſinico albo & flavo potui datis periculum feciſſe in aliis canibus, qui paulo ante mortem aperti nuſquam coeuntis veſtigia ſanguinis præbuerunt. Sub idem ferme tempus diſſolutæ aqua nivis experimentum inſtitui, qua duos canes jeunos atque ſitientes; quorum alter vehementi diroque alvi fluxu corripiebatur, alter rigore & ventris cruciatibus; fere impleveram: nec opinio me fefellit; quippe inciſis, dum adhuc viverent, gaſtricis venis atque arteriis, continenter ſanguis naturalem ſervans tenuitatem effundebatur, licet adhuc dum in alterius ventriculo multum illius aquæ frigidiſſimæ contineretur. Quamobrem veriſimile eſt aquam frigidam, quum potui data adverſus ſputum vomitumque ſanguinis proficit; atque extrinſecus adhibita, cutique inſperſa profuſionem ſanguinis ex utero, renibus, naribus, quæ ſanguinem fundere haud ſine vitæ diſcrimine conſueverunt, mirifice reprimit; id haudquaquam ſanguinem cogendo, aut ejuſdem cohibendo motum efficere, at potius curſum adaugendo ſanguinis; quemadmodum quoque facere repentinus terror ſolet; e circumferentia nimirum ad centrum corporis. Quod cum accidere, niſi contractis conſtrictiſque vaſorum ſanguiferorum extremitatibus, non poſſit, haud perperam infertur, aquam frigidam agere præcipue in ſolida eadem conſtringendo. Quo etiam fit, ut non modo ſanguis e diſciſſis vaſis celerius refluat, ſed etiam vaſorum parietes dehiſcentes in ſe ipſi coeant, ſicque brevi profluvium ſanguinis finiatur.

At enim inquies, ut ad propoſitum redeam, fieri poſſe Polypos ope acidi quoquomodo in ſanguine geniti. Oſtendere tamen primo debes in ſanguine gigni acidum; genitum deinde eſſe hujuſmodi, ut albam dumtaxat ſanguinis cogat partem, vixque rubram attingat; vel utraſque quidem partes, ſed ſeorſim afficiat. Secus illud acidum grumum utique quidem, Polypum vero haudquaquam efficiet, qui fere albeſcere conſuevit.

Ce-

Ceterum ſpiritus acidos, ſuccoſque ejus generis tum recenter miſſo affuſos ſanguini, tum in canis venas injectos, ſic utraſque ſanguinis partes coegiſſe ſemper vidi, ut color inde emergeret plus minus niger, nec, ſi bene memini, aut membranoſus, aut elaſticus grumus evaderet, inſtitutis licet pluribus experimentis ſpiritibus præcipue vitrioli, nitri, atque aqua forti.

XI. Terror quoque adverſus corporis ſolida vim exercet ſuam: Hinc ejus effectus, ut Eruditiſs. meditatur Hofmannus Med. Rat. Syſt. t. 2. p. m. 94. §. 19. ,, eſt ſpaſmodica ,, partium externarum conſtrictio, qua ſanguis a circumferen- ,, tia ad centrum propellitur, & omnis generis excretiones ,, ſupprimuntur. ,, Iccirco, ſi cui ex utero, aut ex hemorrhoidibus, aut ex ore, aut ex naribus ſanguis fluens incuſſo terrore fluere repente deſinat, non affirmaveris id ob ſanguinis congelationem accidere, ſed quia terrore conſtricta ſubſident vaſa, quæ effuderant ſanguinem. ,, Enim vero ,, Idem ait Vir Experientiſſimus ibid. p. m. 95. §. 21. in ſchol. ,, non ſe- ,, mel ſed ſæpius in praxi adnotavimus, menſium fluxum ni- ,, mium modo ceſſantem, terroris vi illico fuiſſe reſuſcita- ,, tum; neque minus lochia poſt abortum vel partum immo- ,, derate fluentia, ſi videantur jam ſanata & in ſtatum paca- ,, tiorem deducta, ex terrore confeſtim revocari. ,, Ex quo apparet, non coire ex terrore ſanguinem, uti Maximus inter latinos Poeta videtur innuere Æneid. 3. p. 278. v. 30. Edit. Lugdun. 1612. . . . . Mihi frigidus horror

Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.

Ubi Acutiſſimus Ludovicus Cerdanus in adnotationibus p. 279. verba Iſidori lib. 10. Maronem explicantia, adducit: nimirum ,, Formidoloſus a formo, ideſt, ſanguine, dictus, ,, cum ſe a cute, vel a præcordio fugiens contrahit ſanguis. ,, Nam timor ſanguinem gelat, qui coactus gignit formidi- ,, nem. ,, At alio in loco idem Poeta nimirum Æneid. 10. p. 475. v. 452. rem melius explicat, propiuſque ad veritatem accedit his verbis: Frigidus Arcadibus coit in præcordia ſanguis, rem inquam melius explicat, dummodone verbum illud *Frigidus* aptetur ſanguini, ſed horrori, quemadmodum ſupra recen-

recensito loco Æneid. 3. factum est. Etenim quum terror incessit, ad interiores partes, videlicet ad præcordia, sanguis compellitur, multoque celerius, quam antea consueverat, movetur, nimirum propter auctam extremorum vasorum systolem. Unde fit ut „ cum sanguis „ inquit idem Præclarifs. F. Hofmannus ibid. p. 94. §. 19. in schol. „ sic cum impetu „ ruat ad cor & pulmones, excitat ibi mole sua premente an- „ xietates intensas, spirandi angustiam, pulsus debilitatem & „ frequentiam. Et quoniam cor ab onere se se expedire cona- „ tur, fluidum nerveum non raro magno cum impetu in ejus „ musculos fertur & convulsivum motum ejus, sive palpita- „ tionem, quæ fere individuum est signum terrore affectorum, „ producit. „ Quid quod terror sanguinem cogit, si terrori subinde cedit inflammatio obstructionesque reserantur? Vide hac de re partem 3. op. Cl. D. Jo. Christiani Langii disput. 2. p. 28. §. 38. docet enim id ex Pechlino lib. 3. obs. 24. p. 454. & Salmuth. lib. 1. obs. 48. „ qui uno affirmant ore se hoc „ animadvertisse. Nam cum juxta priorem pro discutiendo tu- „ more pedis a Medico spiritus articularis ad extra jussus esset „ applicari, isque ad ignem ab imprudenti ministro propina- „ tus admotus flammam suscepisset, interulaque inde accende- „ rentur, terrore adeo perculsus est æger, ut exiliens e lecto „ fuga sibi consuluerit protinus. Alter autem refert, cum cui- „ dam ægro cataplasmata pedibus circumjecta importune mor- „ su auferret sus, hypocaustum ingressa, tam graviter eo ipso „ esse commotum, sive terrore, sive ira, ut illa adhuc die di- „ dicerit, insistere pedibus, antehac ad corpus sustinendum „ penitus ineptis. §. 39. Et licet alias scirrhosi & carnosi tu- „ mores magis deprehendantur rebelles, sæpiusque per longum „ tempus cuncta conamina Medici & Chirurgi eludant, tamen „ a terrore etiam hos disgregatos esse videre est apud Pechli- „ num, qui c. 3. o. 24. de Medico quodam rarissimum hunc „ casum refert, scilicet in illo carnosam herniam unice terro- „ ris ope esse sanatam.

Ex his disci potest, quanta vis sit terroris in solidis constringendis, in perturbando sanguinis, ac fluidi animalis per nervos motu; ut mirandum non sit, hanc eandem animi, perturba-

turbationem interdum mortem, interdum acutos, longosque morbos fuisse consecutos. Memoratque Insignis M. Malpighius de Polyp. Cord. dissert. in Bibl. Anat. Manget. tom. 2. p. 2. p. 122. *ægrum alioquin robustum, ex timore in pulsus inæqualitatem, ejusque obscuritatem præcipue in sinistro carpo incidisse absque febre, & recurrente spirandi difficultate insigni, sed brevi tandem per sputa quandoque rubri sanguinis portionem, quandoque copiosa alba quædam frustula veluti Polypos, excrevisse, & postremo turgentibus superioribus ex coercita sanguinis copia suffocatum interiisse.* At si in hujus præcordiis inventus est Polypus isque insignis, ipse certe hujusmodi Polypum ante mortem ortum haud facile affirmaverim, tum quia non arbitror cogi ex terrore sanguinem, tum quia, si insignis in præcordiis Polypus insedisset ægri, non video, cur in historia ejusdem, præcipue non animadvertantur notæ Polypi præcordia occupantis, scilicet recurrens cordis palpitatio, atque defectiones animi frequentes. Ideoque longe verisimilius, ni fallor, est, pulsus inæqualitatem a nervorum cardiacorum vitio, quod terror pepererat profectam fuisse: siquidem „ cum animus „ ait Lancisius de mot. Cord. prop. 55. p. 83. „ a vehementibus pathematis de repente agi-
„ tatur, tunc quidem spiritus tumultuarie in superius, me-
„ diumque præsertim ganglium irruentes, musculares in illis fi-
„ bras varie, pro pathematum varietate afficiunt, ac proinde va-
„ riis modis cardiacos nervos constringendo, elevando, aut quo-
„ cunque alio modo commovendo coronaria vasa constringunt,
„ attollunt, convellunt, aut alia ratione quatiunt, atque per-
„ cellunt; unde naturalis cordis motus, quod frequentissime ac-
„ cidit immutatur. „ Qui præternaturalis cordis motus, etsi interdum brevi desinat, fieri tamen potest, ut non ante mortem finiatur; utique si debilia æger præcordia nactus fuerit, eaque sic a terrore perculsa fuerint, ut restitui pristinæ sanitati nequeant. Sic animadvertimus propter terrorem pueros affectionibus haud raro corripi epilepticis, eosque interdum brevi sanari, interdum non nisi longo tempore, interdum nunquam; pro ut scilicet plus minusve roboris est eorundem cerebro. Cernimusque & adultos hujusmodi morbis obnoxios, ac interim bene valentes, ubi primum terror incessit, in morbum

incidere; mox eundem finiri, neque per menses, neque interdum per annos aliquot redire morbum; quo quidem tempore bene valent, nec vel minimam polypi notam cerebri vasa occupantis exhibent. Non igitur subest mirari, cur pulsus inæqualitas atque obscuritas, qua laboraverat recensitus a Malpighio Æger, auferri nequiverit, nec ullis remediis cesserit spirandi difficultas; utique si nervos forte natura debiles tum cordis tum respirationi inservientium partium terror offenderit. Unde sputi quoque sanguinis, quod idem ipse passus fuerat, caussa apparet; dum scilicet contractis pulmonum nervis & naturalis motus sanguinis perturbatur, & sanguiferorum vasorum diametri, & tunicarum firmitas atque conditio multum a statu naturali recedunt sicque interdum vasa dehiscunt. Hinc effusus coit sanguis in pulmonum bronchiis cujus per os modo rubra modo alba frustula expelli interdum cernimus. Quod quidem caussam mihi præbuit suspicandi, an venæ arteriosæ surculus, qui cum sanguine ex ore Francisci Episcopii prorupit; an integra pulmonis vena a Navarcho Amstelredamensi tussi ejecta, an, inquam, referri ad crustam sanguinis possint concreti in asperæ arteriæ ramis. Utramque historiam tradit Cl. Tulpius obs. Med. l. 2. ac primam quidem cap. 12. p. m. 115. his verbis proponit:

Francisco Episcopio, juveni macro, ac tereti, exedit acris, ac ferinus humor, a capite destillans, non tantum molle pulmonis viscus: sed etiam venas illi inclusas: a quibus ubi concitaretur frequens sanguinis profluvium, erupit tandem, præter omnem spem, ingens venæ arteriosæ surculus: adæquans longitudine sua digitum auricularem. Qua inopinata excretione, adeo perterritus fuit hic juvenis: ut metuerit inde mortem repentinam. Quæ tamen ipsi non intervenit nisi post anni curriculum. Exoluta enim brachii vena supprimebatur illico sanguis, ex pectore emanans. Et facto, hac ratione, medicinæ loco, adhibebantur tam feliciter remedia: ut potuerit iterum in Zelandiam proficisci; & ubique locorum mercaturam exercere, &c.

Alteram historiam idem Auctor refert *cap. 13. p. m. 116.* his verbis: *Navarchus Amstelredamensis, qui diu in mare vixerat, contraxit ætate jam maturus, ex perenni destillatione, tussim*

magis

magis terra, quam mari molestam. Qua, per biennium, flaccidos pulmones exagitante, defecit tandem viscus hoc, plus nimio lacessitum. Et effudit, ex inopinato, non tantum sanguinem, sed praeterea duos insignes venarum ramos; adaequantes singulos expansae manus magnitudinem. Prodibant autem separati, ab omni parenchymate: ostendentes non minus distincte, extrema sua lineamenta: ac si otiosus anatomicus removisset, circumpositi visceris, impedimentum. Argumento certe evidenti totum pulmonem fuisse vitiatum. Ac proinde haud mirum, excretis hisce surculis, effudisse ipsum, ipsam cum sanguine vitam, &c.

Equidem, ut ad Francisci Episcopii historiam veniam, libere fateor me non satis intelligere, aperta brachii vena desiisse fluere sanguinem, ubi venae arteriosae surculus, isque ingens tussi ejectus fuisset. Quippe si ex vena e. g. brachii scalpello incisa sanguis fere usque ad mortem, nisi brachium deligetur, effluit, qui postea usque ad mortem non effundetur ex disrupto ejectoque pulmonaris arteriae *ingenti* surculo? Praeterea aegre admodum intelligo venae arteriosae surculum, duosque illos insignes venarum ramos, qui ex Navarchi ore eruperunt, prodire potuisse *separatos ab omni parenchymate,* ——— *ac si otiosus anatomicus removisset, circumpositi visceris impedimentum;* cum sciam quantus labor adhibendus ei sit, qui haec vasa a pulmonari substantia, cui quam firmissime adhaerent, conatur resolvere. Contra vero haud improbabile mihi videtur, crustam coacti in bronchiis sanguinis ramiformem figuram nactam potuisse Tulpium fallere; praesertim cum tum temporis ante Malpighium structura crustae parum esset cognita sic, ut alii illam pro viscerum parte, alii pro vermibus has illasve nostri corporis partes incolentibus habuerint: quemadmodum ad grumum sanguinis aequo animo retulerim & vermem illum emictum quem idem ipse Cl. Tulpius Obs. Med. l. 2. c. 49. p. m. 172. proposuit:

Volcardus Aita, Vir pleni habitus, excrevit utique a vesica, simillimam membranam: & praeter illam, corpore jam plane emaciato; vermem teretem: colore adeo rubrum: ut videretur, solo quasi sanguine altus. In quem etiam totus resolvebatur, post mortem flaccescens. Momorderat autem hic vermis, tam acriter, quasi san-

si sanguinem sitiens, cum renes, tum membranas, ac venas illi vicinas: ut vix a lachrymis sibi temperarit, vir cæteroquin durus: & a domesticis ærumnis abunde exercitatus, &c.

Ceterum usu quoque exploratum habeo crustam sanguinis in pulmonis bronchiis concrevisse eorundem referentem figuram. Præsto enim mihi sunt duo exempla. Alterum pleuritici hominis annorum 60. qui sibi victum acetum venditando comparabat, Bergomi, atque in Nosocomio præcipue, per quam notus: hic enim tribus ante mortem diebus haud exiguum crustæ sanguinis frustum expuit adeo sanguifera imitans vasa, ut nonnulli surculum pulmonaris venæ esse arbitrarentur. Dissecto deinde cadavere integras tum pulmonares venas tum arterias mihi visus sum offendisse, exploratis vasorum ramis certe insignioribus diligenter cultro; repetitisque in eosdem aquæ injectionibus. Alterum exemplum mihi suppeditat miles quidam Illiricus sputo laborans sanguinis qui *ramiforme* crustæ frustulum cum multo sanguine tussi expulit; nec amplius quidquam sanguinis post adhibita præsidia expuisse certo scio. Demum anno elapso Doctiss. Amicissimusque D. Thomas Carenus Mediolanensis Ripaltæ Castri Medicus misit ad me hujusmodi frustum *ramiforme* quod Ill. N. N. Taurinensis Eques admodum adolescens tussi ejecerat, peripneumonia affectus qua brevi post interiit.

Haud raro quoque in pleuritide ac peripneumonia sputum e pulmone ferri animadvertimus pulmonari substantiæ per quam simile: quod nihil aliud esse deprehendi, nisi crustam effusi sanguinis. Siquidem sputum istud aqua perfusum tepida albescit, structuramque crustæ prodit. Itemque deprehensus haud semel est integer in iis pulmo qui ingentem hujusce sputi copiam expuerunt. Prope templum Pauperum D. Martini vivit homo admodum sanus & laboris impatiens nomine Jo. Quarti qui sex ab hinc annis cum in Nosocomio pleuritide laboraret gravissima singulis diebus multum hujus sputi expuebat.

XII. Nunc videndum, an morsus viperæ Polypum creet. Quod mihi certe manifestum satis non est, quamquam Polypos in capræ corpore, quam viperæ morsus necaverat, Cl. Mangetus offenderit. V. Sepulc. Anat. Teoph. Boneti t. 3. lib. 4. sect. 10. obs. 11. pag. 472. „ Aperto corpore præter alia —— repe-

„ ric-

,, riebamus sanguinem non tantum in grumos coactum, sed ,, ejusdem particulas sibi invicem ita cohærentes, ut in cordis ,, ventriculis polypos admodum tenaces, valvularum tum sigmo- ,, idalium, tum tricuspidalium variarumque cavernularum in ,, prædictis ventriculis excavatarum, imaginem apprime per ex- ,, terna referentes, efformaret. Idem præterea sanguis e majori- ,, bus ac minoribus venis, in ramos ac ramulos distributus, si- ,, ne disruptione extrahi poterat, valvularum itidem omnium, ,, tum jugularium venarum, tum aliarum figuram non minus ,, accuratam exhibens, quam a cera præparata ac eadem infusa, ,, illud effectum fuisset. ,, Profecto, hujusmodi sanguinis coitum ut credam morsum præstitisse viperæ, ostendat Auctor oportet, caprarum sanguinem alba carere parte, nec emissum contrahi, nec unquam crustam emittere. Quod si insignem miratur coitum sic, ut attribui nisi veneno viperæ non censeat posse, animadvertat quæso, quam parum coiverit canis illius sanguis a vipera commorsi v. Sepul. Anat. Th. Boneti t. 3. l. 4. s. 10. o. 6. §. 1. p. 464. in cujus dumtaxat venæ cavæ trunco *nonnihil sanguinis concreti* repertum fuerat. Alterius deinde canis ibid. §. 2. *nullus repertus sanguis coagulatus, neque in corde, neque in vena cava aut ullibi*. Tum §. 4. Catelli *nihil insolens in cadavere repertum* ——— *cum fuscedine, & prava sanguinis consistentia, sicut in cæteris*. Demum §. 5. alius canis sanguis *admodum niger cum coagulationis initio in corde, & vena cava, cæterum consistentia dissolutus & corruptus*.

Huc spectant quoque Eximii Francisci Redi experimenta: Ait enim Osserv. int. alle Vipere p. m. 39. ,, Dopo molte espe- ,, rienze fatte a questo sol fine in Cani, Gatti, Pecore, Ca- ,, pre, Pavoni, Colombe, ed altri animali, non ho per an- ,, cora trovato cosa stabile, che intieramente mi satisfaccia, e ,, da poterla scrivere per vera. E sebbene in alcuni animali ,, morti dalle Vipere si trova quel congelamento di sangue ne' ,, ventricoli del cuore, io però non l' ho sempre trovato in ,, tutti, e per lo contrario quel medesimo congelamento molte ,, volte l' ho veduto, e molte volte nò in animali fatti morire ,, per istento; l' ho veduto dentro al cuore di Uomini morti ,, di male naturale. ,,

At

At unde nam inquies tam insignis coitus capræ sanguinis supra propositæ? Certe quidem haudquaquam mirum videbitur consideranti coitus historiam sanguinis cujusdam canis ab Eduardo Tysin in Act. danicis propositam, quæ quoque extat in Sepulc. Anat. Th. Boneti t. 1. l. 2. s. 11. o. 3. in Addit. p. 899. ,, Canis quædam Islandica, quæ pro indole sua valde ludibunda & agilis fuerat, a semianno pinguescere & torpescere incepit, & tunc temporis quasi *Syncope* correpta in terram corruens, animam, ut mihi videbatur, efflatura erat: Tandem vero convalescens, sed non pigra non ita pridem catulos tres parturiit, duos vero mortuos: Tempore prandendi solito cibos sollicite quæritans, huc illuc cursitando, & post devoratos cum satis alacris visa est, ad catulum fovendum rediit: sed hora una vel altera elapsa cum famulus obiter canem minus integre, ut ipsi visum est, se habentem observasset, ad focum admovet, sed illico crura & pedes summe extendens, & integram se voluntans, expiravit. ——— In dextero cordis ventriculo, & Auricula Polypum insignem ejus cavitatem occupantem observavimus: Sed quod rarius, ni fallor, adnotatum est, per totius venosi generis systema ramulos dispergebat, ita ut in Pulmonibus, in Hepate, in Renibus, in venis Mesentericis, in cava, in ramis iliacis, uno verbo in omnibus totius corporis venis polyposam hanc sanguinis coagulationem quasi in theca inclusam advertimus: Sectis venis Polypum integrum cum suis ramulis e corpore exemi, & in tabulam explicavi, qui demum exsiccatus mihi nunc inservit pro systematis venosi schematismo. In sinistro ventriculo & auricula itidem Polypum alterum satis grandem notavimus, qui eodem ritu ac in venis per singulas arterias diffundebatur: Hoc vero discrimen interfuit, quod Truncus illius qui arterias occupaverat, gracilior fuit & minoris molis. ,,

Fateri igitur oportet, hujusce canis, nec non supra enarratæ capræ, sanguinem, parte alba, quam fibras appellant, fuisse refertissimum; eandemque probabile est in singulis vasis coivisse post animalis, uti usuvenit, interitum; in his quidem vasis seorsim a parte rubra, in illis simul concrevisse, uti postea dis-

-ea differam. Nam si vis Polypos ante canis mortem tueri genitos, quam deinde caussam adferas, quamobrem in cordis auriculis atque ventriculis, inque cunctis corporis venis arteriisque, insidentibus Polypis, neque dilatatio vasorum ulla secuta est, neque difficultas spirandi oborta; quamobrem tot intus, tamque insignes gerens Polypos, cibos sollicite canis illa quæritare potuerit, huc illuc cursitare, satis alacris videri, ad catulum fovendum redire, atque per horam vel alteram ante obitum minus integre dumtaxat se habere? Scire namque expedit, horumce animalium sanguinem eodem coitu non semper affici; & quamvis canis e. g. sanguis longe minus contrahi, quam sanguis hominis consuevit, interdum tamen accidere, ut idem ille multo plus contrahatur, eo quod & humani sanguinis coitus haud raro maxime variet.

XIII. Ex his ad caussas alias Polyporum transeo, nimirum ad aneurysmata, varices, cordisque cavitatum dilatationes. Ac primum certum esse Lancisius inquit de Mot. Cord. & Aneurysm. prop. 61. p. 145. „ in magnis Aneurysmatibus, at-
„ que in iis præsertim, quibus arteria maxime dilatatur, aut
„ foramine percussa attollitur in folliculum inveniri quemdam
„ veluti fornicem polyposo-grumosum: qui superstitem arte-
„ riæ membranam distensione alioquin attenuatam, diversis
„ compaginatis laminis incrustat, ac mire tuetur „ præmonetque paulo infra „ primo sanguinem esse fluidum non
„ simplex, sed heterogeneum, compositum nempe, ex diversis
„ partibus qua solidis, qua fluidis, crassis, ac subtilibus,
„ in cujus fluentum bis saltem in die rivulus subtenacis chy-
„ li, & quidem larga copia solet infundi: qui profecto chy-
„ lus in statu naturali sanguini permistus ejus intestino motu,
„ ac continuo particularum attritu, & collisione attenuatur,
„ in minimas partes comminuitur, ac volatilis efficitur: Se-
„ cundo ad attenuandum chylum cum sanguine multa fuisse a
„ natura comparata, sed omnium maxime ipsorum vasorum
„ determinatas figuras, certos diametros, & validos motus,
„ seu vires peristalticas: quas si aliquando vitiari contin-
„ gat vasorum affectiones juxta gradum in solidis admixti vi-
„ tii, enormia quoque fluidorum vitia in corpore manifesten-
„ tur

,, tur oportet : sed præcipue necessario turbatur exacta illa in
,, sanguine fluidi cum solido, crassi cum subtili permixtio,
,, ita ut in locis affectis eæ fluidorum partes subsistant, quæ
,, ponderosiores, quæ fibrosiores, quæque verbo ad motum
,, per se prosequendum minus sunt expeditæ. ——— Etenim
,, cum certum sit in aneurysmate, quo idem majus est, eo
,, magis tria hæc apud arteriam vitiari, figuram videlicet dia-
,, metrum, & præcipue motum peristalticum: qui scissis, aut
,, erosis fibris, canalem aptum ad resiliendum, seu ad contra-
,, hendum constituentibus, eo in loco debilitetur, prorsusque
,, tandem tollatur necessum est. Quare sanguis liquor nimirum
,, heterogeneus, & chylo scatens cum a corde impulsus, folli-
,, culum Aneurysmatis penetraverit, illico segnius moveri in-
,, cipit: partim quia ex angustiori arteriæ diametro, in latio-
,, rem folliculum influit, quo fit ut ex hydraulicæ legibus re-
,, tardetur: partim etiam quia folliculi tunicæ, seu portionis
,, arteriæ dilatatæ *propter* abscissas, atque exesas fibras contra-
,, hi nequeunt atque præterfluentem sanguinem, in proximas
,, arterias ordine impellere, atque accelerare, seu saltem mo-
,, tum ex corde conceptum propagare: imminuto autem san-
,, guinis motu; particulæ chyli non adhuc probe subactæ,
,, variæ aliæ quamplurimæ specifice cæteris graviores, ab iis
,, secedunt, atque inter se coeuntes concrescunt in fibras, ex
,, quibus variæ lamellæ postmodum contexuntur polypi mate-
,, riam referentes. Ex his autem Aneurysmatis fornix progres-
,, su temporis attollitur.

Hæc quoque probat Præclariss. Jo. Fantonus Observ. Anat. Med. Jo. Baptistæ Fantoni 22. in scholiis p. m. *63*. additque insuper ,, valde ampliatis in magno Corde ventriculis -- pro-
,, duci polypos debere; Nam licet Cor vehementissime in con-
,, tractionem veniat, carnes parietum satis invicem accedere ad
,, totum sanguinem propellendum minime valent; unde ,, vi-
de paulo ante ,, ex superstite sensim cruore concretiones ex-
,, citantur. ,,

Ob id etiam in cordis auriculis nascentur, ni fallor, Polypi, utique si expansæ magnopere fuerint, ita ut totum sanguinem expellere una contractione nequeant; idque eo magis fiet, si co-

si eorumdem parietes eo soliditatis pervenerint, sic ut vix ac ne vix quidem contrahi possint. Porro etiam in venarum expansionibus, quemadmodum in aneurysmatibus, si magnæ fuerint, excitabitur Polypus, eoque facilius, quia contractio, quæ in aneurismatis tunicis, nisi duriores, cartilaginosæ atque osseæ fuerint, plerumque deprehenditur, prorsus desideratur in venis.

Hinc Polypi generationem exemplo torrentis explicant turbidam vehentis aquam, nam si retardetur motus, & ingressus ejusdem intra fluminis alveum, tum quidquid majoris est ponderis imum petit fundum atque concrescit. At cum hoc in torrente, ubi elanguescit aquarum motus, semper accidat, aneurysmata autem magna, & varices enormes, & cordis ventriculorum, auricularumque expansiones ingentes sæpe sine Polypis inveniantur; longe alia mihi videtur esse ratio hujusmodi concretionum. Et quamquam lubens assentior, in aneurysmate ac varice segnius moveri sanguinem; nec ex dilatatis tum cordis ventriculis tum auriculis totum expelli; vehementer tamen dubito, ne graviores partes sanguinis intra dilatata vasa coire unquam possint; cum nulla ratio appareat, cur in illis ipsis tam sæpe sanguinis concretiones desint. Accedit plerumque ad dilatatam arteriæ diametrum asperitudo quoque superficiei internæ aneurysmatis atque inæqualitas; unde magis adhuc sanguinis fluxus infringi necessario debet; nec inde tamen in his quæ sequuntur historiis Polypi mentionem fieri animadvertimus.

In cadavere Petri Pauli Bartoletti Ordinis D. Salvatoris Canonicorum Abbate dissecto,, inquit Eruditiss. Michelottus Comment. Academ. Bonon. p. 443. ,, *ab amico meo I. D. Santorino Excelsi qui sanitatis dicitur, Magistratus Protomedico præclarissimo, aortam supra curvaturam, in tumorem, pugnum, adæquantem distenta, osseis squamis intus scabra inventa est; ad immissaria vero primæ vertebralis, & dexteræ subclaviæ arteriæ, aneurysmata ovi volumen habentia observata sunt.*

Memini, me octo ab hinc annis in cadavere biennis Puellæ ex antiquo nobilique Mutiorum genere ortæ, quæ hydrocephalo decesserat, eductis e capite libris octo aquæ limpidæ cum dimidia turbidæ ac subcruentæ, inter meningem

& cerebrum immorantis; memini, inquam, me una cum D. Antonio Querengo Experienti Chirurgo, detexisse aneurysma in eo trunco, quem vertebrales constituunt arteriæ, cervicalisque arteria dicitur: quod quidem aneurysma duos ferme digitos transversos longitudine, latitudine pollicem æquabat, nec in eo polyposi quidquam fuisse deprehensum, licet intus ubique fere asperum & cartilagineum fuerit.

In cadavere Dom. Pelet, Civis Monspeliensis, inventa est arteria magna ascendens a corde ad claviculam ita dilatata, ut brachii fere magnitudinem æquaret, & ovum gallinaceum in cavitatem suam facile admittere posset. Præterea tunica illius admodum densa & cartilaginea evaserat. L. Riverius Cent. 4. observ. 34. p. m. 491.

In vetulæ cadavere aperto inventum est aneurysma in abdomine, in quod pugnum immittere potui & immisi: Notanda hic est summa naturæ providentia, quæ arteriæ disruptionem præcavens ex nimia dilatatione, tunicam illius adeo induraverat ut ossea appareret. Vid. Sepulc. Anat. T. Boneti t. 2. l. 3. s. 14. o. 52. p. 263.

In thorace statim se se conspectui dedit dilatata aorta arteria ascendens, cujus paulo supra divaricationem tanta erat amplitudo, ut duas libras sanguinis, & ultra capere posset. O. Heurnius in Obs. Hist. 27. p. m. 26.

Aorta arteria prope suum exortum tantopere fuit ampliata, ut ejus capacitati quatuor digitos conjunctos facillimo intrudere potuerim negotio. Mantiss. ad Plateri Observat. Vid. Sepulc. Anat. Bonet. t. 2. l. 3. s. 21. o. 15. p. 479.

Arteria cervicalis; tam ampla, ac lata; ut in se facillime recepisset duos digitos: sed interim plane vacua, & omni humore destituta. Nic. Tulpius Obs. Med. l. 1. c. 44. p. m. 84.

Arteria vertebralis, Tubuli mole aucta, pari sua alterius lateris triplo major evaserat: Th. Willis Cereb. Anat. c. 7. p. m. 283.

Apparuit nobis prima arteria sub corde ex magna ad caput ascendente orta maxime dilatata & dilacerata. A. Saporta de Tum. p. n. l. 1. c. 43. Vid. Sep. Anat. Bonet. t. 3. l. 4. s. 2. o. 21. §. 4. p. 289.

Arteria magna duplo solito laxior erat, ac repleta sanguine

nigro

nigro ac seroso. Bontius Medic. Ind. observat. 8. pag. mihi 36. 6.

In Collegio Rhemensi cuidam Sacerdoti aneurysma erat in cruribus. Aperto cadavere reperta est magna dilatatio arteriæ, & sanguis in ea arteria concreverat indurueratque. J. Thevart. in adnotat. 8. in consil. 107. l. 1. Consil. Ballonii p. m. 387.

Patuit membrana interna arteriæ magnæ, prius quidem laxata; postmodum vero cum dilatationi nullus esset locus, disrupta. Aneurysma itaque fuit in arteria magna extra cor duos solummodo digitos transversos. P. Marchettus Observ. Med. Chir. 48. p. m. 113.

Arteria & vena Emulgens solito majores erant. — Cor magnitudinis & firmitatis extraordinariæ: Vasa ejus valde dilatata, & consistentiæ cartilaginosæ, maxime ostium magnæ Arteriæ & valvulæ ejus. S. Schafferus Miscell. Curios. ann. 9. obs. 102. Vid. Sepulc. Anat. Boneti t. 2. l. 3. s. 21. o. 27. p. 486.

Doctiss. quoque Albertinus Comm. Acad. Bonon. p. *396.* hæc habet: *Similes, tantæque pertinaciæ, & diuturnitatis casus in viris adhuc non vidi: paucis quibusdam exceptis, in quibus inveni simplex, & solum aneurysma in aorta intus undique munitum ossea crusta.*

Ipse quoque anno *1733.* mense Januarii cum amico meo Juvene studiosissimo atque acutissimo D. Jo. Antonio Codazzi sexagenarium dissecui hominem nomine Bartholomæum Gavazzi, qui diu asthmate & cordis palpitatione laboraverat, & tandem sanguinis ex ore profusione extemplo decesserat: in cujus corpore offendimus lævum cordis ventriculum duplo naturali majorem; ostium aortæ duplo minus cum valvulis ejusdem cartilagineis atque asperis; magnæ arteriæ truncum, intus osseis squamis ubique fere scabræ, valde dilatatum sine ullo Polypo.

Repertum est Romæ nuper in Beato Philippo Nerio Sacerdote, qui sæpius in Palpitationem Cordis incidebat ex vehementi Extasi Cor valde amplum, & arteriam quæ ducit in pulmonem, duplo latiorem naturali Cæsalpinus Art. Med. lib. 6. cap. 20. p. m. 265.

Arteriæ, idest venosæ, *corpus in eam quam dixi amplitudinem*, videlicet, ut manum in pugnum complicatam capere possit, *di-*

latatam, internamque ipsius tunicam osseam. Paræus lib. 6. c. 28. p. m. 225.

Ea parte qua auricula cordis dextera venam excipit cavam ingens aneurysma in cava vena conspiciebatur. Pavvius obs. anat. 31. vid. Sepulc. Anat. Bonet. t. 3. l. 4. s. 10. o. 4. §. 1. p. 461.

Cor viginti duarum unciarum. --- Sola dextra auricula æquabat cor hominis ordinarium magnitudine. ——— Arteria pulmonaria, & vena cava descendens excesserant modum: nec enim hujus os patens argenteo Imperialis nummo nec illius medio occlusisses. Kerckringius Obs. Anat. 16. p. m. 39.

Insignem -- utrius cordis ventriculi, & auriculæ -- prolatationem -- cum solertissimo Santorino, & spectato Chirurgo Gaet. Manfre deprehendit laudatus Michelottus *in cadavere celebris, dum in vivis esset, concionatoris Hyacinthi Mariæ de Juntis*. Comm. Acad. Bonon. p. 431. *Cor adeo amplum invenit* Marchettus observ. 49. p. m. 114. *ut tria naturalis magnitudinis æquaret, ventriculis itidem amplissimis. Cor adeo vastum* adnotavit Hartmannus Miscell. Cur. d. 11. ann. 5. *ut latitudine & longitudine superaret bovinum maximum. Cor majusculi capitis magnitudinem* adæquans proponit Ballonius lib. 2. Epid. & Ephem. p. m. 96. *Cor tantæ magnitudinis apparuit* inquit D. Marchettus Anat. cap. 10. p. m. 73. *ut cavitatem totam occuparet, capsulæque ubique adhæreret, quoniam dilatari amplius non poterat. -- Ventriculi tam lati erant, & præcipue dexter, ut in ipso unum naturale cor residere posset*. Itemque Cel. Covvperus in Specimine Transf. Phylosoph. t. 2. p. 2. pag. 111. cordis lævum ventriculum viri quadragenarii bovinum mediocrem magnitudine superantem exhibet: Ibidemque Solertiss. Cheseldenus p. 114. Mulieris hydrope confectæ lęvum cordis ventriculum duplo majorem recenset. Eodemque in loco p. 119. Experientiss. Douglassius sinistri cordis ventriculi multo majoris dextero, venæque pulmonaris bulbi maximi meminit. Denique in lib. de Aneurysmat. prop. 53. p. 137. Præcl. Lancisius in Ill. Jo. Baptistæ Palaggii cadavere *venam cavam, auriculam, & ventriculum dexterum ita dilatatos, ut pugnum admitterent* reperisse se, inquit. Idemque supra prop. 47. p. 132. memorat, *ventriculi dexteri aneurysmate* decessisse quendam generosissimum Proavum, inque ejus filio inventa fuisse *prædicta ca-*

va

va stricto pugno capaciora ; nec non in filiolo epilepsia mortuo *hæreditariam hanc præcordiorum labem* se, ait, offendisse.

Quod ad auricularum cordis dilatationem attinet, præter ea quæ dicta sunt supra, legenda est utriusque cordis auriculæ descriptio a M. A. Severino de recond. Abscess. doct. p. 192. literis tradita : Vid. Sepulc. Anat. Bonet. t. 1. l. 2. s. 2. o. 2. p. 576. nimirum. *Reperta dextera cordis auricula durior & cartilaginea, plurimo atro sanguine distenta sic ut pugni magnitudinem æquasset : quæ distenta neque resedit neque repressa est, sed eodem modo fornicata perstitit, velut obfirmata huic statui, & velut sigillis affabricata : sinistra quoque auricula nil a priore varians.* Pariterque Cl. O. Borrich. in act. Med. Th. Barthol. ann. 1674. 75. 76. Vid. Sepulc. Anat. Bonet. t. 3. l. 4. s. 3. o. 28. §. 4. t. 371. *Dexteram cordis auriculam sextuplo majorem sinistra, sed livido sanguine coagulato* refertam proponit. Demum Præstantissimus Dionysius admodum dilatatam describit dexteram cordis auriculam Anatom. de l'Homm. p. m. 629. his verbis : *On fut surpris de voir l'oreille droite du cœur d'une grosseur si e'tonnante, e'tant plus grosse que n'est la te'te d'un enfant nouvellement ne'; elle e'toit tenduë comme un balon, & remplie de sang, dont la plus grande partie e'toit coagule'e, il y en avoit la quantite' de trois demi-septiers ; l'on se'para cette oreille de la base du cœur, & apre's en avoir vuide' le sang, on la trouva ossifie'e interieurement, &c.*

His sane perlectis Cl. Virorum observationibus admiratus sum, nihil inde literis de concretionibus mandatum fuisse polyposis dilatata vasa occupantibus. Quid igitur ? Putas ne pro Polypis intelligendum esse coactum sanguinem in nonnullis supra recensitis vasorum dilatationibus, repertum ? At magnum interest discrimen inter Polypum, & concretum sanguinem, ut initio epistolæ testati sunt Viri Præclarissimi. Præterea Polyporum hystorias legenti constat, nunquam Polypos concretum sanguinem ab Auctoribus appellari solitos, sed modo carnem, modo pinguedinem, modo nervosum corpus, modo glandulam, atque his similia. Prætermissum ne fuisse dixeris Polypum, præsertim ubi vasorum dilatationes indicantur potius quam describuntur ? Id quoque arbi-

arbitrari non convenit: nemo namque ignorat, concretiones hujusmodi semper magni fecisse tum veteres tum recentiores viros, deque eisdem locutos sæpe fuisse seu cadaveris descriptionem, seu morbi tradentes historiam; quin etiam scimus a quampluribus vel ipsum coagulatum nigrumque sanguinem in mortuorum vasis repertum inter mortis caussas enumeratum fuisse. Verum dubitare etiam posses, an nulla ideo Polyporum mentio fiat, quia nimirum Polypi pro arteriarum tunicis, quas fere in aneurysmate læsas offendimus, aut pro cordis dilatati substantia habiti fuerint. At si quis concretionem polyposam seu pro aneurysmatis tunicis seu pro cordis dilatati substantia accipiendo, humano more lapsus forte fuerit; numquid propterea id de pluribus Scriptoribus affirmandum, etiam si inter eos haud pauci enumerentur, qui rem anatomicam summa cum laude exercuerunt?

Erit fortasse qui cogitabit ad excitandum in aneurysmate Polypum, sanguinem requiri partibus refertum viscidioribus, gravioribus, magisque ad motum ineptis. Quid, si hujusmodi partibus constante sanguine, reposuerim, nullum inde ortum Polypum tum in aneurysmate arteriæ magnæ paulo supra iliacas a Cl. Jo. Baptista Fantono descripto vid. supra pag. 35. tum in aneurysmate a Larcheo dissecto vid. supra ibidem arteriæ cæliacæ ita dilatatæ, *ut compressum* pugnum admitteret? Constat quippe in utriusque aorta insedisse Polypum. Similiter legimus cavam cujusdam civis Bataviensis venam a Cl. Bontio recensiti vid. supra pag. 25. repletam fuisse, *loco sanguinis adiposa substantia, ac medullæ spinali admodum simili*; arteriam vero magnam duplo solito laxiorem *sanguine* dumtaxat *nigro ac seroso*.

His adde quæ Cel. R. Vieussenius Traitè de la struct. du Cœur. Chap. 16. p. 107. his proposuit verbis: *Je trouvai un polype dans l'oreillete droite; le ventricule gauche e'toit extraordinairement dilate'; les parois du tronc de l'aorte me paruvent trop e'paisses, fort dures, & comme cartilagineuses; ses valvules semileunaires e'toient fort tenduës & de'coupe'es dans lur extremite': toutes leurs coupures qui avoient quelque rapport avec les dents d'une scie, e'toient veritablement pierreuses.*

Ipse

Ipſe quoque anno 1729. viii. Calend. Julii una cum amicis meis Juvenem in Noſocomio diſſecui annorum 30. qui palpitatione cordis vehementi, ſpirandique difficultate, atque animi defectionibus ſæpiſſime recurrentibus affligebatur cum inæquali atque intermittenti continenter pulſu; in cujus cadavere lævum cordis ventriculum triplo dextero majorem offendi; ubi Polypus quoque occurrit æquans magnitudine pollicem: in antica aortæ facie prope cor tres calculi haud exigui, quos adhuc ſervo, conſpiciebantur, oblongæ cujuſdam rimæ conſtituentes oras, per quam ſanguis ex aortæ cavitate in ejuſdem inſignem folliculum, renem figura ac magnitudine referentem, intus vero inæquali ſuperficie duabuſque rotundis foſſulis præditum, impellebatur; in quo quidem folliculo concretum utique ſanguinem, polypoſam vero concretionem vidi nullam. Aortæ oſtium digito minori impervium deprehendi, ejuſdemque admodum inæquales ac ubique fere cartilaginoſos parietes uſque ad ortum ramorum ſubclaviorum.

Pariterque hoc anno 1736. vi. Calend. Aprilis in Noſocomio coram ferme cunctis Medicinæ atque Chirurgiæ alumnis in cadavere cujuſdam Militis nomine Jo. Baptiſtæ Ganzini ex Cohorte *Fiori* lævam cordis auriculam adeo expanſam inveni, ut multo plus eadem ſanguinis, quam uterque cordis ventriculus, ac dextera auricula naturalis diametri continuiſſent: Polypo interim carebat auricula, dum non ſine quadam polypoſa concretione dexter cordis ventriculus cernebatur.

At quia in hoc cadavere, quod inſuper inveni, non eſt ejuſmodi, ut ſilentio prætercam; ſcias velim, me ſcilicet, præter flaveſcentem aquam quæ ſecto thorace undique effundebatur, præterque pulmones ubique fere pleuræ alligatos, ſic adhærens cordi pericardium deprehendiſſe, ut ſine laceratione avelli non poſſet: Circulum deinde oſſeum in eodem pericardio animadvertiſſe, cordi circumdatum tamquam coronam; quem ſane mihi placuit, veluti admiratione rem dignam, tibi ob oculos ponere. Sit igitur

A Circulus pericardii oſſeus.

a Facies oſſis antica dexteram cordis auriculam ferme totam tegens & ſummitatem dexteri ventriculi.

b Fa-

b Facies ossis postica ventriculum sinistrum ferme totum contegens.

c c Duo ossis capitula, quorum superius majus atque asperius fere in dexteri ventriculi cavitatem penetrabat; inferius quoque cum plerisque aliis minoribus protuberantiis intra lævi ventriculi parietem multo firmiorem ac crassiorem solito delitescebat.


* * Ramusculi duo ossis, quorum superior cum haud exigua cartilaginis portione inconsulto abscissa sic dexteram coercebat auriculam, ut vix ejusdem vestigia apparerent; inferior vero a cordis apice non distabat, nisi transversum digitum.

Porro ossis substantiam durissimam ac firmissimam ubique deprehendi, cujus margines in cartilaginem desinebant, cartilago in pericardii membranas. Os extrinsecus membrana obductum tenuissima longe minus asperum, atque inæquale occurrit, quam intrinsecus, ubi nimirum ad instar coralliorum fruticans conspiciebatur. Truncus autem segmentum circuli anticum constituens crassitudine superabat dimidium transversum digitum, ejusdem ramis ubique fere inter se cohærentibus; secus vero in postico segmento truncus minor, atque in ramos divisus admodum distantes cernebatur, quos inter cartilago sita erat cordis & ipsa adhærens substantiæ una cum singulis ramis, atque eminentiis ossis. Hinc dexter cordis ventriculus naturalem diametrum servaverat; lævus triplo minor evaserat, dexteræ cordis auriculæ ut ante dixi vix apparebant vestigia; contra lævam, utpote quæ ab osse non comprimebatur, auriculam maxime expansam, ut paulo ante memini, sine Polypo tamen ullo, deprehendi.

Ad historiam morbi quod spectat, moleste equidem fero, non posse me nisi pacua atque imperfecta adducere. Siquidem neque vidi ægrotantem, neque satis consulere ministros potui, qui de morbo extra spem posito minus erant soliciti. Intellexeram tamen ex amico defuncti milite ejusdem cohortis, eundem Jo. Ganzini annos natum esse octo circiter & quadraginta; non diu militiæ Venetæ nomen dedisse; militaria munera, antequam Nosocomium petiisset, obivisse; interdum in itinere sedisse spiritum trahentem difficilem, præsertim ubi iter per

accli-

A



acclivia ageret loca ; nullius questum doloris pectoris ; sæpe uno atque altero die ægrotasse solitum, quo tempore ferme sine cibo ac potu, sine sociis, sine ullo alio auxilio degens, sequenti mane redibat ad signa laboris impatiens, sobrius, ac vere probus. Nosocomium ingresso difficilis eidem spiritus per intervalla movebatur; sæpeque tum cordis palpitatio, tum defectiones animi præcipue post cibum & potum, post corporis atque animi sæpe ad Deum conversi motum, incidebant. Jugularium quoque venarum insignis fluctuatio aderat. Ubi demisso capite aut pronus jaceret, morbus adaugebatur, unde fere supinus decumbere erecto thorace cogebatur. Tandem tribus mensibus in Nosocomio commoratus cum pulsu continenter inæquali atque intermittenti, & licet imbecillo, tamen nonnihil duro, atque, uti vocant, *vibrato*, nihil seu a misto bis sanguine, seu ab epotis pharmacis adjutus, sudore circa faciem egelido oborto, defixisque ad cœlum, uti sæpe solebat, oculis animam Deo reddidit.

Jam porro, ut propius accedam ad Polypum, minus videntur verisimilia, quæ de venis in quibusdam Polypis detectis sunt literis tradita. Qua de re satis sit attulisse Viri Summi meique Præceptoris Sapientissimi Jo. Baptistæ Morgagni verba adversus Mangetum Adverf. Anat. 5. Animad. 27. p. 40. „ Etsi vero tum Lowerum supra adduxisti scribentem, se in
„ concretionibus cordis polyposis *plurimas venas advertisse*,
„ tum hic Diemerbroeckium producis asserentem, se in poly-
„ pis duobus *vasa sanguine turgida*, ——— *vasa sanguinea* vi-
„ disse; optassem tamen, ut istud *vas sanguineum* quod *in me-*
„ *dio*, & *per totam longitudinem* cujusdam polypi a te visum
„ memoras, diligentius descripsisses. Hæreo namque; ut ve-
„ rum fatear; non quod mihi, qui tamen plurimos inspexi
„ polypos, id nunquam se obtulerit, sed quod Malpighius
„ ipse negat, id sibi *videre contigisse*. Atque adeo etsi ego quo-
„ que cum eodem concedo, ex se se insinuantibus sanguineis
„ particulis, dum hinc inde fibrarum concretione coercentur,
„ tubulos efformari posse; veras tamen venas, vera sanguifera
„ vasa non facile concesserim, nisi aut certæ, & peculiares ho-
„ rum tunicæ describantur, aut in veris ipsorum parietum cor-

„ dis , vasorumque excrescentiis , non in ejusmodi poly-
„ pis, quorum naturam egregie explicat Malpighius , inven-
„ ta sint . „ Ex quo apparet veri neque simile esse , cordis Polypum dolere posse sævireque, & cancro affici, quemadmodum nonnullis visum est.

XIV. Sed & illa dubia mihi videntur , quæ de diversitate coloris firmitatisque inter dexteri , & lævi ventriculi Polypum Insignis Malpighius his verbis locutus est Dissert. de Polyp. Cord. in Biblioth. Anat. Mangeti t. 2. p. 2. p. 120. edit. 1685. „ Quin & color etiam non raro di-
„ versus observatur , nam ut plurimum Polypi in dextero
„ cordis thalamo excitati color subalbidus est, laridi instar,
„ seu excreti succi, quem vulgo pituitam appellamus, & in-
„ terdum rubra quædam, vel subnigra stigmata consperfa ha-
„ bet: in sinistro autem genitus colorem ut plurimum atrum ,
„ & densiorem obtinet substantiam . „ Quæ quidem quominus facile credam sequentes efficiunt Polyporum historiæ : nimirum.

Refert Posthius in Ducis Ferrariensis, subitanea morte extincti, sinistra cordis cavitate; pinguedinis frustum ad magnæ candelæ sebaceæ formam repertum fuisse. Rolfink. diss. de Cord. c. 3. Vid. Sepulc. Anat. Boneti t. 1. lib. 2. sect. 11. obs. 5. §. 4. p. 884.

Observata fuit in sinistro cordis ventriculo pinguedo in arteriam venosam ascendens. Thom. Bartholin. Cent. 1. Epist. 2. Vid. Idem t. 1. l. 1. s. 2. o. 38. p. 111.

In sinistro cordis thalamo *frustulum adiposum, subluteum molle ac lentum apparuit Thom. Barthol. Cent. 4. Hist. 20. Idem t. 2. l. 3. s. 19. §. 10. & 11. o. 3. p. 375.*

In sinistro cordis ventriculo polypos duos non spurios, aut ex sanguinis grumis concretos, sed candidissimos e fibris tenacissimis densissime contextis compositos , qui diuturna maceratione nullo modo dissolvi , & cultri acie vix dividi poterant proponit C. Vaterus Misc. Cur. decur. 3. ann. 2. Idem t. 1. l. 2. s. 7. o. 46. p. 805.

Sinister cordis ventriculus *corpus quoddam polyposum album ac solidius, ramos duos in totidem venæ pulmonariæ tubulos emittens complectebatur. Idem t. 1. l. 1. s. 12. o. 16. p. 304.*

Inveni in sinistro cordis ventriculo tria frustula adiposa lenta & candi-

candicantia. Bartholin. Cent. 1. *Hist. Anat. Idem t.* 3. *l.* 4. *s. ult. o.* 1. §. 2. *p.* 539.

Uterque cordis ventriculus duabus quasi turundis oblongis, adipis concreti obstructus est repertus. Velschius Episagm. obs. 34. *Idem t.* 1. *l.* 2. *s.* 9. *o.* 4. *p.* 846.

In utroque cordis ventriculo sanguis in substantiam solidam albidam & carnis coctæ æmulam concreverat. Willis Pathol. Cer. c. 9. *Idem t.* 1. *l.* 1. *s.* 13. *o.* 1. *p.* 306.

Inventus uterque cordis sinus *humore obsitus concreto, instar vulgaris gelatinæ flavioris. Severin. de Abscess. p.* 277. *Idem t.* 1. *l.* 1. *s.* 12. *o.* 35. *p.* 286.

Cordis ventriculus uterque corpus continebat album, lentum; crassum, quale solet esse quod cordis Polypus dici solet. Blasius Obs. Med. 10. *Idem t.* 2. *l.* 3. *s.* 17. *o.* 1. §. 16. *p.* 298.

In dextero cordis ventriculo frustum carneum oblongum, sed nusquam annexum, in sinistro pinguedo item libera, & vermiculo cætera non dissimilis. Idem Bonetus t. 3. *l.* 4. *s.* 3. *o.* 28. §. 4. *p.* 371.

Dira mores pituitæ fulvæ, tenacis & compactæ ventriculum cordis *opplet utrumque. Ex Thes. Discip. Derelincurt. Idem t.* 1. *l.* 1. *s.* 12. *o.* 8. *p.* 296.

Interiora sinistri cordis *Ventriculi oppleverat cruor, sub quo* polypus *specie pinguedinis.* ——— *In* dextero Ventriculo *itidem* Pinguedinis specie *Polypus. Idem t.* 1. *l.* 2. *s.* 1. *o.* 33. *p.* 573.

Observavimus ventriculum cordis *dexterum phlegmonoso corpore pingui repletum* ———: *In sinistro ventriculo ejusdem substantiæ minor portio aderat. Bartholin. Cent.* 2. *Hist.* 46. *Idem t.* 3. *l.* 4. *s.* 1. *o.* 57. §. 22. *p.* 221.

Vidi ego in dextero cordis ventriculo ——— *radicem enatam carnosam albidam flaccidam quæ prodiens ex corde & cavam venam subiens propagabatur usque ad caput & os sacrum: Eadem carnea substantia ex sinistro ventriculo prodibat. Obs. Neret. Idem t.* 3. *l.* 4. *s.* 1. *o.* 47. §. 4. *p.* 197.

In sinistro cordis ventriculo, præter sanguinem purulentum substantia quædam continebatur pinguis & adiposa, ut & in dextero ventriculo. Jo. Helvig. Obs. Med. 82. *Idem t.* 2. *l.* 3. *s.* 21. *o.* 21. *p.* 483.

Cor ipsum cruore distentum erat, & Polypo gemino, *quorum*

major sinistrum, minor dexterum ventriculum occupavit. Substantia utrique compacta, alba inque filamenta ductilis. Peyer. Meth. Hist. Anat. Med. cap. 6. Idem t. 2. l. 3. s. 21. o. 3. p. 370.

Cor in utroque suo sinu, substantiam quandam continebat, oblongam teretem mollem, ex albo flavescentem, lentam medullæ ossium calefactæ persimilem, sed appendicibus aliquot præditam. Smetius Miscell. l. 3. p. 576. Idem t. 2. l. 3. s. 21. o. 3. §. 24. p. 380.

Cordis ventriculus uterque *non sanguine sed pituita potius vitrea tenaci subalbida repletus erat. Rumler. obs. 6. Idem t. 1. l. 2. s. 11. o. 5. §. 3. pag.* 884.

Cum dexterum ventriculum ferimus apparet materia subalbicans, pancreati omnino similis ——— : Dum sinistram cordis foveam scrutamur, ——— etiam parem in ea materiam & longitudine & visciditate reperimus. Bodganus apud Bartholin. Epist. xi. Cent. 4. Idem t. 3. l. 4. s. 3. o. 29. §. 6. p. 374.

In auricula & ventriculo cordis dextro dissecto materia rubicunda *nimirum grumis haud absimilis, parenchymatica tamen, tenerrimisque membranulis intertexta & cincta; tum quoque materia sebacea molliuscula albicante, ad suavem flavedinem nonnihil vergente steatomatosa quasi. ——— Eodem plane modo jam dicta & descripta materia sinister quoque cordis ventriculus ——— refertissimus. Clauderus Miscell. Cur. Decur. 2. ann. 4. Idem t. 2. l. 3. s. 8. o. 10. p. 132.*

Manifestum igitur haudquaquam est discrimen hoc assignatum quod inter dexteri, & sinistri ventriculi Polypum, plerumque interesse dicitur: tibique mirum videbitur, si in Sepulchreto Anatomico Cl. Theophili Boneti præter carunculas quasdam a Riverio repertas, aliamque fabam æquantem majorem, quarum scilicet non innotescit color, mirum, inquam, videbitur si affirmaverim, me duo tantum exempla nigricantis in lævo ventriculo Polypi invenire potuisse: alterum videlicet A. Vesalii v. Sepulc. Anat. t. 1. l. 2. s. 9. o. 2. p. 845. *glandulosam sed interim nigricantem carnem* inventam memorantis: alterum Benivenii v. Sepulc. Anat. t. 1. l. 2. s. 10. o. 6. p. 865. *repertum nigrioris carnis frustulum.*

Superesset quoque animadvertenda moles Polypi major dexteri cordis ventriculi dexteræque auriculæ, quam sit Polypi mo-

les

les in ſiniſtro ventriculo immorantis ſiniſtraque auricula, uti idem ipſe Malpighius cum nonnullis aliis adnotavit; ſed de hac loco agam ſuo.

XV. Nunc jam tempus eſt ut percuntanti reſpondeam, undenam, & quomodo gignantur in cadaveribus Polypi. Ad primum quod attinet ſuſpicor equidem Polypos poſt mortem fieri ex parte alba ſanguinis, quæ ubi in ſuperficie grumi concreverit, cruſta ſanguinis appellatur. Hanc porro magis ſpiritalem partem eſſe ſanguinis, inque hominibus cerni vivida conſtitutione præditis, creditum a quibuſdam eſt, veruntamen perperam. Nam extra dubitationem eſt poſitum, eandem longe ſæpius in ægrotantium ſanguine, quam ſanorum apparere ſolitam; quæ quidem corpora infeſtans ſana, obnoxia maxime offenſis reddit. Podagrici, quorum morbus in libro de Affectionibus ἡ νοῦσος τοῦ αἵματος appellatur, præcipue ſi inveteratus morbus fuerit, ſingulis fere vicibus, quoad vita fruuntur, cruſtam emittunt; quod & Phthiſicis commune eſt, non ſecus atque hydrope vexatis, ſcorbuticoque morbo. Itemque alii incidunt morbi, in quibus ferme ſanguis non elicitur, niſi cruſtoſus. Hujuſmodi ſunt pleuritis, peripneumonia, angina, rheumatiſmus, dyſenteria, apoplexia, variolæ, epidemicæ quædam febres, aliique acuti longique morbi; ſed tranſactis his ſæpe ſanguis ſine cruſta fertur.

Cæterum dolendum eſt in ſectione venæ celebranda, pleroſque ſanguinis dumtaxat colorem attendere, cruſtæ vero ſanguinis inquirendæ tam parum eſſe ſolicitos; & tamen ſcimus nihil magis cordi eſſe debere ad cauſſas morborum aſſequendas, curationemque recte peragendam. Nuſquam quippe utilius ac pulcrius de ſanguine legi monitum, niſi in libro de Alimento Aph. 16. αἷμα ὑγρὸν, ἄριστον. αἷμα στερεὸν, φλαῦρον, quod ſic vertit Theod. Zuingerus p. 337. *Sanguis humidus, bonus: ſanguis ſolidus, malus*; ubi in comm. τὸ ὑγρὸν *fluidum & humidum* explicat. Iccirco diligentiam adhibeant *phlebotomi* neceſſe eſt, ut pars alba ſanguinis ſecedere a rubra poſſit, ſupremumque grumi locum petere.

I. Sic namque incidenda elatior vena eſt, ut ſanguis affatim & continenter effluat; quippe ubi ſæpe nunc intercipi-

tur,

tur, mox profluit sanguis, calentemque jam frigescens excipit, permirum est si qua crusta obducitur.

II. Si affatim continenterque fluat sanguis vitrea pelvi, in qua inspici urina solet, excipiendus est; sin parce admodum duobus tribusve cyathis coni inversi figuram habentibus, atque etiam pluribus si opus fuerit, dum continenter fluit, uti expedit: in quorum singulis aut certe aliquibus crustam, utique si sanguis crustosus fuerit, haud dubie invenies.

III. Neque laxari vinculum aut solvi debet ad horizontalem fluxum sanguinis promovendum, dummodone parce extillet; siquidem periculum est, ne occludatur vulnus, aut refluens subsistat sanguis; sciendumque est a perpendiculari sanguinis fluxu si continens fuerit, crustæ generationem haudquaquam prohiberi.

IV. Demptis sex ex. gr. unciis effusi continenter sanguinis, consilioque explendæ libræ inito, si parce postea emanare sanguis cœperit, aut ex toto desierit, vas debet subduci protinus, reliquumque sanguinis novo vase excipi.

V. Cavendum etiam est, ne sanguinem circumagas dum concrescere incipit, quod sæpe a Chirurgis fieri consuevit ut missi sanguinis quantitatem explorent: & si duobus tribusve vasculis exceptus idem fuerit, ne de vase in vas transfundas, magis cavendum; siquidem nihil hoc pejus est.

XVI. Sed ut revertar unde discesseram, suspicor equidem cordis Polypos ex crusta sanguinis post mortem fieri, quę si in misso sanguine per morbum apparet, Polypos quoque in cadaveribus excitat; quod Cl. testantur Viri, ratioque atque usus ipse confirmat. Ad primum quod attinet has lege sententias imprimisque Insignis Malpighii Dissert. de Polyp. Cord. in Bibl. Anat. Maget. t. 2. p. 2. p. 112.

„ In Apoplexia in vasis tum majoribus tum minoribus
„ per cerebri meninges extensis coalescunt Polypi, ut mul-
„ torum testantur observationes. In cardiaca syncope, cu-
„ jus symptomata apoplexiæ simillima sunt, de facili in
„ præcordiis & pulmonibus luxuriant. ——— Pleuritico-
„ rum cadavera non in præcordiis tantum, sed in hepate
„ & venoso genere hujusmodi copiose continent, quod &

„ ta-

„ tabidis & quibusdam asthmaticis familiare est, & iis „ in quibus glandulæ & præcipue conglobatæ ita duritie la„ borant, ut animalis æconomia harum ministerio prive„ tur. „ Et infra p. 123. „ Sileo febres, pestem, aliosque „ sævissimos morbos ex aeris & soli myasmate ortos, in „ quibus polypi concrescunt, ut hujusmodi defunctorum „ cadavera testantur. „

Idemque Op. Post. p. 44. edit. Venet. inquit: „ Hunc ita„ que „ intelligit Polypum „ non raro in cordis ventriculis, „ & præcipue in dextero, & appensis vasis excitari habui in „ melancholicis, lue gallica affectis, reliquisque, in quibus „ coagulativi acidique sales luxuriant. „

„ Quotquot Apoplexia aut catarrho suffocativo mortuos „ aperui, in omnibus corpora illa callosa, viscida ac glutino„ sa, aut in corde, aut in cerebro, aut in ambobus aliquan„ do reperi. „ Greiselius Miscel. Curios. ann. 1670. obs. 74. vid. Sepulc. Anat. Bonet. t. 1. l. 1. s. 2. o. 37. §. 1. p. 110.

„ Cum plurimorum scorbuto defunctorum ante biennium „ vel triennium, tum in Nosodochio dicto *l'Hôtel dieu*, tum „ in eo quod a Sancto Ludovico nomen obtinet, dissectioni „ præfuerim, id semper observavi ipsos semper gestasse sangui„ nis concreti frusta insignia, aut in cordis ventriculis, aut „ saltem in majoribus vasis per universum corpus sparsis. „ Denisius in Ephem. Erud. vid. Sepulc. Anat. Boneti t. 1. l. 2. s. 8. Addit. o. 1. p. 841.

„ Sæpe in cachecticorum cadaveribus, aut eorum qui mor„ bis obnoxii vixerunt, corpora quædam sive fibrosa sive pi„ tuitosa reperiuntur, quæ ad notabilem magnitudinem ex„ crescunt, radicesque agunt in cavernis ventriculorum cor„ dis, hinc e sinistro ramos sursum & deorsum per aortam „ emittunt, atque in varios ramusculos, juxta arteriarum ca„ pacitatem, & numerum dirimuntur. „ Th. Bonetus Se„ pulc. Anat. t. 1. l. 2. s. 1. in Schol. ad obs. 61. p. 509.

Sed ratio quoque suadet, offendi polyposa debere corpora in eorum cadaveribus, quorum missus in morbo sanguis edidit crustam. Manifestum quippe est, coire post mortem sanguinem in corde vasisque sanguiferis sine ope acidi, sine ullo alio auxilio,

ſed omnino ſponte, partium ſcilicet a partibus ſeceſſione, quemadmodum eductum in pelvi ſanguinem coire cernimus. Præter hæc quid quæſo ſenties Alethophile de tot tantiſque Polypis, alias cordis ventriculos, alias ejuſdem auriculas, alias vaſorum ſanguiferorum opplentibus orificia ſine ulla unquam vel levi Polypi nota ante obitum? Non poteſt igitur dubitari, quin cruſta ſanguinis poſt interitum prodeat, tum videlicet, cum ceſſante motu fluminis; quo cieri poſt mortem ſanguinem oſtendiſſe reor prioribus literis; partes ſanguinis loca petunt, quæ ſpecificæ gravitati conveniunt.

Quod ſi rationes minus placent, conſule ſodes cadavera: vere enim fateri poſſum, me non in eorum modo corporibus, qui ante recenſitos a Viris Cl. morbos paſſi fuerant, inveniſſe Polypos; verum etiam in omnibus aliis quorum obductum cruſta ſanguinem ante obitum deprehenderam; nec equidem dubito quin tibi quoque periculum facienti eventus reſpondeat. Fieri tamen poteſt, ut hæc ipſa cadavera interdum fallant, aut inciſo dumtaxat corde, aut negligenter inſpecto. Pertinetque ad rem noſſe, cordis antra aliquando eſſe vacua, aliquando ſub multo ſanguine latere Polypum: ſæpe eundem inciſo corde cum ſanguine erupiſſe, ſæpe etiam recepiſſe ſe intra depleta cruore vaſa, præſertim ſi inter ſecandum mucro cordis erigitur manuque comprimitur. Ob hæc ergo anatomem exequenti non modo cor, & vaſa cordi proxima, ſed etiam remotiſſima quæque, uti & ea quæ viſceribus inſeruntur, ſubjicienda cultro ſunt, cruorque diligenter explorandus & oculis & manibus, ac ſi opus fuerit etiam aquæ aſperſionibus.

XVII. Porro ſuſpicionem augent meam duo Principes Viri, qui nihil diſcriminis intereſſe affirmant inter cordis Polypum, & cruſtam educti ſanguinis. Horum alter Malpighius eſt, alter Villiſius. At prius videndum, qualem ille deſcribat Polypum, quum inquit Diſſert. de Polyp. Cord. in Bibl. Anat. Mangeti t. 2. p. 2. p. 120. „ Morboſa hæc ex-
„ creſcentia ſuam quoque ſtructuram habere videtur, etenim
„ præ ſe fert congeriem ſuperpoſitarum extenſarumque pelli-
„ cularum, quæ ſubſtantiæ modo nervoſum corpus cum ali-

„ quali

„ quali tamen mucositate referunt, & si eadem laceretur, solvi videtur in oblonga & solida filamenta, hæc manifestiora redduntur in ejus appendicibus, quæ fasciculi instar in fibras quasi nerveas resolvuntur. „ Quid autem Malpighius senserit de crusta sanguinis his ibidem verbis intelligitur: „ Si concretus sanguis cui copiose crusta alba & densa innatat, quæ tamen concrescibili sero non turgeat, sed quasi pellea, mollis, & complicabilis sit per longum scindatur, & per iteratas vices abluatur in superiori ejus parte subalbis pelliculis contextam crustam meatibus, & fere vesiculis perviam observabis, quæ diaphano & minus gravi succo replentur. „ Ibidemque etiam ipse paulo ante dixerat: „ Tandem pellea crusta in suprema extracti & refrigerati sanguinis parte concrescens ultimo se se obtulit, ex cujus indagine (cum persimilia sint in utrisque „ idest in hac, & Polypo „ phænomena) „ Polypi forte minera, & productionis modus emerget. „ & infra p. 121. „ Ut autem „ inquit „ dictorum veritas illustretur, & proximius rem ipsam attingamus, Polypum in sinistro cordis ventriculo, qui rubra utplurimum habet stygmata, vel subnigro pollet colore, multa aqua ablue, emergentibus enim exiguis spatiolis spetiem sanguinis omnimodam præ se fert, interdum etiam exiguus cordis Polypus ampliore sui parte crustam sanguinis albam æmulatur, reliquisque excrescentiis impense rubet; aliquando exteriores Polypi portiones albescunt, veluti extensa membrana, reliquum vero ita rubet; ut videatur sanguinis portio, quæ circumambiente ventriculo vel vasis, veluti cyatho detenta, concreverit, ita ut dubitari etiam possit nonnunquam Polypum a portione totius sanguineæ massæ suscitari, ex continuo tamen pertranseuntis sanguinis impetu veluti affusa aqua relictis obstantibus albis fibris rubras particulas rapi. In horum dilucidationem alia licebit in utrisque similia experiri. Sanguineæ igitur fibræ aqua dilutæ, vel dum sanguis exit e vena in calente aqua receptæ, dum elixantur, gracilescunt, & si superassentur in tenuem evadunt membranam quod adamussim in Polypo accidit, hæc item omnia oleo sulphuris affuso colorem rubiginosum acquirunt. „

Sequitur deinde Villisius Pharmaceut. Rat. p. 1. s. 1. c. 2. p. m. 27. his verbis : „ Ex his enim liquido constat sanguinis „ concretiones grumosas , seu veluti carneas , ipsius cordis si- „ nus & vasorum majorum radices ita nonnunquam opplere , „ ut fluenti sanguini cursus fere in totum obstruatur . Quin „ imo hoc in vasis minoribus sæpius contingere, & ratio sua- „ det, & experientia concludit: quippe (pro ut modo innui- „ mus) sanguis in Rheumatismo, peripneumonia & pleuriti- „ de, per phlebotomiam emissus, postquam refrixit , pellicu- „ la consimilis omnino substantiæ cum concretionibus istis po- „ lyposis, obducitur. „

XVIII. Quidni igitur merito dubitaverim de Polypo ante mortem genito si crusta sanguinis *persimilia* habet Polypi *phænomena*, si *consimilem omnino substantiam* nanciscitur *cum concretionibus polyposis* ? Aut enim neges oportet in corde vasisque sanguiferis crustam sanguinis prodire post obitum , aut discrimen inter crustam & Polypum assignes necesse est quod nequicquam quæsivit Malpighius . Quod si discrimen reperis nullum quid est quæso cur Polypos tueri velis ante mortem genitos ? An quia id præstitum a Doctissimis Viris ? Scilicet credebatur olim a Sapientibus Viris nunquam concrescere in venis sanguinem, sic ut repertus in mortuorum venis concretus non adscriberetur profecto nisi raræ cuidam & abditæ morbi caussæ . Numquid etiam num & tu idem sentis ? Numquidnam putas ante mortem ortas concretiones albas & flavas omnes quæ in mortuorum corde vasisque sanguiferis sæpe adeo offenduntur ? At hæc opinio, postquam diu valuit , sensim deinde labi cœpit . Ceterum in ea sententia Malpighium fuisse haud semel sum suspicatus tum quia Kerckringio respondens Malpighius neganti Cordis Polypum , discrimen dumtaxat ostendit , quod inter Polypum & concretum sanguinem, non quod inter Polypum & sanguinis crustam interest ; tum quia concretiones omnes polyposas , quas in pulmonibus pleuriticorum offendimus , ante mortem exstitisse videtur arbitrari Differt. de Polyp. Cord. in Bibl. Anat. Mang. t. 2. p. 2. p. 123. quum inquit : „ Huic meditationi favent observationes in aeris mutationibus præcipue „ aquilonaribus , in quibus pleuritides , quæ uno verbo , ul-

„ tra

„ tra acutam febrem ſunt Polypoſæ concretiones in pulmoni-
„ bus ut ex cadaveribus & extracto ſanguine patet, facillime
„ excitantur. „ Itemque quum paulo ante inquit nimirum
„ pag. 122. „ Pleuriticorum cadavera non in præcordiis tan-
„ tum, ſed in hepate & venoſo genere hujuſmodi copioſe con-
„ tinent, quod & tabidis & quibuſdam aſthmaticis familiare
„ eſt, &c. „

XIX. Itaque quia in ſingulos creſcunt dies obſervationes & cadaverum diſſectiones labi, ut ante dixi, opinio cœpit affirmantium albas flavaſque ſanguinis concretiones quaslibet in cadaveribus haudquaquam fieri. Ideoque Cl. Wepferus inquit in Diſs. de Apoplex. p. m. 390. „ Corpora pituitoſa in ventriculis cor-
„ dis reperta, non erant mucus demum poſt obitum concretus,
„ qualis in ſuperficie ſanguinis v. ſ. emiſſi apud cachecticos &
„ febricitantes, poſtquam refriguit alias videtur, qui ſæpe
„ craſſus & fere membranæ inſtar tenaciſſimus eſt, non enim ſan-
„ guinis ſuperficiem corpora hæc operiebant, inſuper radici-
„ bus ſuis firmiter ventriculorum anfractibus connata & im-
„ merſa erant. „ Poſt hunc Cl. Mangetus ſequitur, qui poſtquam dixerat, Bibl. Anat. tom. 2. part. 2. p. 124. Kerckringium vidiſſe dumtaxat *ſanguinis coagulationes in quibus color ſanguineus appareret*; quas quidem utpote rubras pſeudopolypum eſſe poſt mortem ortum putat; infra vid. Bibl. Anat. t. 2. p. 2. p. 236. in adnotationibus ad Tractatum Doctiſs. Mayovv de Reſpirat. ait: „ Obſerva interim quæſo lector hanc eſſe arte-
„ riam „ ideſt pulmonarem „ in qua ſæpiuſcule inveniuntur
„ pſeudopolypi. ——— Etiam hoc crebra animalium diſſe-
„ ctione diſces ſanguinem hunc coagulatum ſive pſeudopoly-
„ pum non ſemper eandem præſeferre coloris tincturam, ſed
„ quandoque ſubalbidum eſſe, aut aliter immutatum. „

Qui vero in mortuorum corde vaſiſque ſanguiferis excitari ajunt hujuſmodi ſanguinis concretiones *ſubalbidas, aut aliter immutatas*, quodnam, inquies, inter has & Polypum diſcrimen afferrent poſtea? Id neque ſatis exploratum habent, nec de eo ſatis convenit inter ipſos. Quippe alii eum Polypum eſſe putant, quem Malpighius dixerat *congeriem præſeferre ſuperpoſitarum extenſarumque pelliculārum*, uti dictum ſupra eſt, non animad-

vertentes, idem etiam ſtatuiſſe Malpighium de cruſta ſanguinis, quæ concreſcibili ſero non turget, quemadmodum conſtat ex ejuſdem ſupra allatis verbis. Alii vero hanc ſtructuram minime neceſſariam eſſe volunt, quam nec Malpighius ipſe in ſingulis pleuriticorum, quas Polypoſas appellat, concretionibus, facile deprehenderet; quippe quæ ſæpe muco ſeu concreſcibili illo, ut Malpighius vocat, ſero turgent, quem abeſſe debere, ut pelliculæ appareant, Idem exiſtimat.

Inſuper, nec ullius meminiſſe membranoſi cordis Polypi Præſtantiſs. Bartholetum, legimus in Meth. de Diff. Reſp. lib. 4. cap. 11. p. m. 119. qui tamen primus humorem *polypodem*, eo quod „ prorſus carunculæ illius pituitoſæ albicantis „ nares obturantis ſubſtantiam, quam polypum appellant, „ mentiatur „ nominavit: probabileque ſit, eundem æque uſum diligentia fuiſſe in diſſecandis cordis Polypis, atque narium; quorum ſcilicet membranoſam ſpeciem exſiſtere & ipſe cum Hippocrate, & Paræo affirmat; poſtquam polypum vidit omnino membranoſum e naribus evulſum Eunuchi Muſici Mantuani. Cordis quoque Polypi membranas ſilet Cl. Seb. Piſſinius in Epiſt. de Polyp. Cord. p. 124., & 125. qui Claræ Spadæ, qui Philippæ a Porticu aperto corde *carnis* dumtaxat *fruſtula* invenit *in placentulæ morem compreſſa; viſcidamque* in altero *pituitam loliginem figura ac ſubſtantia prorſus referentem*. Eas etiam prætermittit dum vid. ibid. p. 130. „ ex quinde„ cim, qui ex maligna febre interierunt, diligentiſſime hu„ cuſque diſſectis, duodecim cordis Polypo laboraſſe „ refert. Itemque expertem membranis Polypum Stephani Aſcieri Cel. Lanciſius memorat lib. 2. de Subit. Mort. obſerv. 5. p. m. 296. ubi inquit: „ Polypeam ſubſtantiam, inſtar lar„ di in fornicem adeo concinne incruſtatam invenimus, ut „ nunquam alias in aneuryſmatum cyſti ſimilem detegere da„ tum fuerit; hoc ſiquidem corpus igne prius liquatum, & „ mox frigore integre concretum videbatur; non enim in mul„ tiplices laminas, ac veluti in folia diſtrahi (ut paſſim ſo„ let) patiebatur. „ Duos demum ſine membranis deſcripſit Mangetus Polypos in Bibl. Anat. t. 2. p. 125. „ Prioris „ inquit „

quit „ ſubſtantia firmior glandulofum quid , fibris variis „ quaſi nerveis intertextum exhibebat ; in cujus medio per „ totam longitudinem vas ſanguineum viſebatur . Poſterioris „ vero ſubſtantia e fibris quaſi ſanguineis glutine quopiam „ albo infarctis , compaginata erat . „

XX. Nec deſunt qui ſanguinis concretiones , quæ digitis diſſolvi nequeunt, quæ fibris conſtant , quæque ventriculorum cordis adhærent parietibus , ante mortem ortas putant . Jam enim & hi quoque ne fallantur pertimeſco , utpote qui cruſtæ ſanguinis ſtructuram , quam hic breviter attingam , ignorare videntur . Scire igitur expedit cruſtam miſſi ſanguinis aliam atque aliam ſui præbere ſpeciem ; plerumque tamen modo membranæ , modo carnis , modo pinguedinis , modo muci imaginem referre ; modo in eadem cruſta , niſi omnes , certe plures harumce rerum ſpecies apparere . Quum ſimilis muco eſt , neque cordis adhæret parietibus , neque fibris nudis oculis cernendis inſtruitur , neque digitis reſiſtit . Interdum autem mucus ille membrana initur forti , interdum etiam in cruſtæ membranoſæ interſtitiis , interdum in grumi areis coercetur . Ad hæc ſi ſero turgeat limpido pituitam refert ; ſi flaveſcente aut ſubviridi ſaniem . Ceterum mucum hunc , ſerum concreſcibile , uti Malpighius appellat , haud facile dixerim ; propterea quod igni impoſitus non concreſcit , ut ſerum ſanguinis ; ſed gracileſcit , ac tabeſcit , quemadmodum cruſtæ ſanguinis accidit , & Polypo cordis . At ſi hujuſmodi muco cruſtæ interſtitia prorſus careant , ſic ut ſeu carnem , ſeu membranam , ſeu tendinem cruſta ſanguinis æmuletur , vix dici poteſt , quantum roboris corpus illud habeat , quod momento ferme gignitur . Facit ad rem deſcriptio cruſtæ ſanguinis a Cl. Mangeto appoſita ad Diſſertat. Malpighii de Polyp. Cord. in Bibl. Anat. ejuſdem Mangeti t. 2. p. 2. p. 120. „ Non nobis „ inquit „ opus „ fuit microſcopio pro fibroſitate ſanguinis perſpicienda in „ muliere circiter quadragenaria , e cujus brachio ſanguis „ per venæ ſectionem eductus , non tantum per ſuarum „ partium aliqualem implicationem modo ordinario coagulatus viſebatur , ſed eo ſoliditatis devenerat ut maſſa

„ car-

,, carnea solidior inde efformaretur cujus textura compactior ,, non tantum carnes molliores æquabat, verum tendineam in- ,, dolem quasi adepta erat; nerveum corpus dixisses e variis fi- ,, bris varie inter se commixtis compaginatum, simile prope ,, illi quod in corde reperiebat Cl. Diemerbroeckius. ,, Ea vero quæ de Polypis adduntur suo loco discutiam. Ac etiam nudis oculis cernuntur pelliculæ, sæpe supremam crustæ partem constituentes, aliæ aliis impositæ, veluti cæparum cortices, quibus robustiores substernuntur fibræ, quæ transversim secanti vehementius resistunt. Sæpe etiam superior membrana crassior atque albidior est, nec cum cæteris continua, nulloque negotio avellitur; reliquæ vero cerebri corticis colorem exhibent, rubris maculis (quæ sanguinis sunt globuli in crustæ interstitiis irretiti) intersperfæ; arctius cohærent, eoque facilius solvuntur, quo diutius immorata in sero sanguinis crusta fuerit. Atque si cordis bubuli ventriculis excipiatur sanguis, qui hujusmodi crusta scateat, non secus adhæret ventriculorum parietibus, quam cordis Polypi facere consueverunt. Præter hæc haud raro evenit, crustam grumo quam firmissime inseri, interdum ab eodem, tanqnam si innatasset, auferri: nonnunquam etiam crustam grumo largiri crassissima vincula, nonnunquam invisibilia aut certe infirmissima, quæ interdum parum roboris, interdum nihil prorsus, ac ne figuram quidem grumo interdum impertiuntur. Certum vero fibrarum ordinem, ut & pellicularum crustam constituentium, crassitiem, robur, situm, magnitudinem, impossibile est assequi; siquidem hæc, vel in crusta unius ejusdemque sanguinis pluribus vasculis excepti, maxime sæpe variant.

XXI. Fere igitur solet crusta sanguinis in mortuorum corde, vasisque sanguiferis deprehendi in superiori grumi loco sita; quod ubi sequitur nullum amplius dubitandi locum relinquit, quin tum crusta sanguinis post interitum coeat. Cujus quidem rei veritas luculenter apparet in grumo longitudinalis sinus. Quippe, cum ad inveniendam veram grumi sedem atque ordinem, necesse sit, morientis animadvertere decubitum, vasorumque sanguiferorum directiones, quæ in morientis decubitu sunt, optime noscere; longe facilius hæc in longitudinali si-

nu

nu deprehenduntur , quam in reliquis ſanguiferis vaſis , quorum directio aut figura firma haud raro non eſt , & conſtans. Iccirco, qui cœlum verſus ſpectante facie moriuntur homines, ſic grumum exhibent ſanguinis , ut cruſta , ſeu pars alba grumi , longitudinalem ſinum occupet , nimirum ſupremam in ejuſmodi decubitu grumi ſedem ; pars vero rubra ad torcular deſcendat reliquoſque duræ meningis ſinus : qui contra in faciem cubantes diem oppetunt ſuum , partem rubram in longitudinali habent ſinu , albam vero ibi , ubi in laterales ſinus deſinit longitudinalis . Meminique me in nonnullis , quorum ſanguini modicum cruſtæ fuerit , erectoque perierint capite , offendiſſe cruſtam in ſuperiori mediaque ſinus longitudinalis parte , rubram vero grumi partem in utraque ſinus extremitate . Et quamvis ante cadaveris diſſectionem certo affirmari nequeat , quouſque in longitudinali ſinu perventura ſit cruſta ſanguinis , cum certe ante definiri non poſſit ejuſdem quantitas , quam oculis pateat ; cruſtæ tamen ſedem atque ordinem , nondum aperto capite , prædixiſſe me , ſæpe fateor ; nec ſane perperam , animadverſo nimirum morientis ægri poſitu.

Hinc ſi quæras , cur ſæpe adeo offendantur in ſinibus duræ Meningis Polypi ; id crediderim accidere , propterea quod iidem ſinus in quolibet morientis decubitu ſanguine vix unquam careant . Quippe ſi , docente Præceptore meo Sapientiſſimo Adverſ. Anat. 6. Animad. 6. p. 8. „ in erecto quoque cor„ poris ſitu aliquid ſanguini objectum eſt , quo minus poſſit „ ex ſinibus lateralibus rapidiore curſu in eum locum devol„ vi „ videlicet deſcenſus ſui in venam jugularem „ nam „ priuſquam huc deveniat aſcendere cogitur per extremam eo„ rundem ſinuum partem , quæ videlicet , ut pars calvariæ „ ſubjecta , eſt acclivis , velut a Cl. Valſalva pictum eſt „ quanto difficilior poſt mortem ſanguinis deſcenſus fuerit in quovis alio ſitu corporis ? Præter hæc ſæpe etiam vidi ex longitudinali in cadaveribus ſinu nihil prorſus ſanguinis , etiam ſi poſitio ſinus verticalis fuerit , in laterales defluere ; ſive id accidat compreſſis occluſiſque in quadam colli poſitione jugularibus venis , ſive defluente ſanguine in declivi ſupinoque thoracis poſi-

positu ex inferiori cava in superiorem, ac jugulares venas. Ceterum nolim existimes, ea, quæ de crusta longitudinalis sinus a me dicta modo sunt, intelligi tantum debere de crusta sanguinis, quæ mollis est, quæ digitis nullo negotio dissolvitur, quæ nusquam adhæret, sed de singulis albis concretionibus, quæ fortissimæ sunt, quæ fibris membranisque constant, quæque appellantur Polyposæ.

XXII. Sed etiam in cordis ventriculis auriculisque, eo quia sanguine plerumque non careant Polypi sæpe occurrunt, eo prorsus modo orti, quo Polypi fiunt longitudinalis sinus. Sed in hisce cavitatibus, quorum magnitudo sæpe variat & positio, haud facile est Polyporum enunciare situm, atque ordinem nisi eisdem dissectis. Hanc vero cordis in hominibus diversitatem Cel. Lancisius indicat in lib. de Mot. Cord. 1. pag. 18. his verbis: „ In hominibus quoque non omnibus eadem particularum cordis positio, ordo, numerus ac magnitudo solet occurrere: — ita ut si dicamus, ipsa hominum corda inter se non minus, quam oculos, vultus, ora discriminari; forte non errabimus. „

Ipse quoque in sectione cadaverum sæpe miratus sum diversam ventriculorum cordis positionem eidem corporis situi respondentem. Interdum quoque erecto cadavere minus horizontalem ventriculorum situm, quam eodem humi strato, deprehendi; interdum contrarium evenisse memini. Interdum converso corpore supra latus dexterum cor dextrorsum ferri longe plus quam sinistrorsum, ubi in sinistrum latus flecteretur homo, animadverti; interdum longe minus, interdum sic, ut basis cordis in dextero latere vix extra sternum pateret. Quin & in canibus suspensis capite cordis ventriculorum positionem non eandem semper esse certo scio. Siquidem modo cordis ventriculi horizonti paralleli conspiciuntur, modo obliquus eisdem situs est sic, ut cordis mucro ad diaphragma longe plus quam basis accedat. Quod ubi accidit certe dexter cordis ventriculus sine intus contento sanguine non deprehenditur, quo fere caret cum cordis ventriculi positum horizontalem habuerint. Cujus quidem rei caussa in canibus suspensis capite videtur esse, quod non semper æque distrahantur vasa sanguinis ac præsertim utra-

que

que cava propter ponderis diverſitatem viſcerum potiſſimum imi ventris. Accedit quoque magnitudo cordis & præſertim mucronis ejuſdem craſſities ob quam nonnunquam mucro cordis ad diaphragma propius accedit.

Igitur cum ventriculorum cordis poſitio variet, & vaſorum ejuſdem tum propter corporis poſitum tum propter figuram molem & pondus ipſius cordis, & adjacentium pulmonum, tum propter thoracis ſtructuram, viſcerumque imi ventris magnitudinem ac pondus, & præcipue ventriculi atque inteſtinorum cibo potu fæcibus aut flatu diſtentorum; quibus aut vaſa diſtrahuntur ſanguinis aut diaphragma intra thoracis cavitatem impellitur; cum, inquam, ventriculorum cordis poſitio variet propter ea quæ dicto modo ſunt, quanta uti debeat diligentia, qui invenire ſitum cordis cupit in quo homo interiit, ipſe vides Alethophile.

Equidem ut cordis ſitus innoteſcat in mortuis qui in morientibus fuerat, neceſſe omnino eſt collocari in eo ſitu corpus in quo periit; conſuleremque, neque ſtatim incidendum eſſe mediaſtinum, neque pericardium, neque diaphragma, neque imum ventrem; quippe cor his diſſectis concidit ac ſedem mutat; ſed relictis ſterno & coſtis quibus diaphragma alligatur, uti & nonnullis aliis ad coercendos pulmones ablatiſque muſculis intercoſtalibus & pleura cor primo digitis, dum diverſimode cadaver flectitur atque erigitur explorandum, deinde quoque pericardii ſectione.

Sed & neceſſarium prorſus eſt morientis ægri poſitum animadvertere; nec ante auferri e lecto quam refrigeratum fere corpus fuerit. Siquidem hoc ubi negligitur, & præſertim e lecto corpus ſtatim eruitur, ut vitam amiſerit, aut nullus certe Polypus, aut exiguus atque imperfectus fiet. Cavendum inſuper eſt, ne Polypus ſedem mutet; quod fere evenit, quum idem vix ac ne vix quidem grumo ſanguinis adhæret aut vaſorum parietibus; nec ea qua oportet diligentia utuntur tum qui cadaver e lecto demunt ac deferunt, tum qui ſupra tabulam projiciunt, tum qui negligenter ſecant.

Quibus cognitis, depoſitoque ſupra tabulam cadavere, & diligenter diſſecto, cernes profecto Polypum in ſuperiori grumi

K parte

parte situm; quod inde intelliges, si cadaver in eo situ colloces, in quo homo interiit. Hinc inventos a Cl. Jo. Baptista Fantono Polypos, Obs. Anat. Med. 1. p. m. 1. infra locum aneurysmatis Aortæ paulo supra Iliacas quos ante recensui, verisimile est, in superiori grumi parte ejusdem arteriæ increvisse, ubi apparere sæpe solent laborante crusta sanguine, positoque in horizontali supinoque situ morientis corpore. Verique simile est hujusmodi decubitu e vivis discessisse virum hunc aneurysmate affectum, cujus crassissimi Polypi dicuntur fluxum sanguinis versus iliacas impedivisse; eo fortasse quia eædem sine sanguine repertæ fuerint in aortæ truncum delapso.

Ipse in duobus canibus pedibus posterioribus suspensis laqueoque enectis, quorum missus ante mortem sanguinis crustam ediderat, Polypos vidi exiguos fibrosos, albidos, aortæ arteriæ prope emulgentes, venæque inferiori cavæ insidentes, grumique sanguinis constituentes verticem. Ad emulgentes quoque, sed in cava tantum vena Polypum offendi in alio cane eodem modo suspenso jugulatoque. In alio autem cane suspenso capite Polypum inveni in inferiori cava situm prope cor; ibi enim apex grumi erat, eo quia sanguis in ea corporis positione ex superiori cavæ trunco, ejusque deorsum spectantibus ramis, atque ex dextero cordis ventriculo, auriculaque in cavam defluxerat inferiorem.

XXIII. Ad Polypi molem, figuramque quod attinet, ut illa a vasis continentis magnitudine, unde crassiores fere Polypi in dexteris cordis cavitatibus, quam in sinistris occurrunt dependet sic hæc a vasis continentis figura proficiscitur. Quamobrem, cum Polypus loci figuram ubi concrescit plerumque referat, manifestum est, non unam esse figuram Polypi, qualem in crusta missi sanguinis deprehendimus, sed aliam atque aliam. Quum enim vas ubi continetur Polypus opplet, licet is in singulas horas post obitum, velut crusta educti sanguinis solet facere, magis magisque contrahatur, serumque sanguinis intus contentum exprimat; vasis tamen figuram servat, ubi coiverit. Sin in eodem vase e. g. cordis ventriculo, aut auricula pars utraque sanguinis, nimirum alba & rubra occurrat, tum Polypus modo placentæ, modo carnis concavæ spetiem præbet.

Atque

Atque hæc caro concava fornix ille eſt *polypoſo-grumoſus*, quem in aneuryſmatibus repertum nonnulli a Natura providente creatum fuiſſe putant ad tuendam arteriæ membranam, propter nimiam diſtentionem extenuatam; quorum opinioni haud facile aſſentior, ut qui fornicem hunc ſemper offenderim in ſuperiori grumi parte collocatum, nec raro quoque viderim, eundem in arteria diſtenta quidem increviſſe, ſed oſſea tamen ſeu cartilaginea cruſta intus obducta. In arteriis vero veniſque occurrens Polypus harum ſæpe figuram eleganter exprimit; præſertim ſi copia partis albæ ſanguinis tanta fuerit, quæ vaſorum latera diſtendere valeat, ſic ut figuram Polypus magis globoſam ſortiatur.

XXIV. Nunc quid de cavis Polypis, quid de ſanguinis grumis inter Polypi tunicas repertis dicendum inquies, Alethophile? Profecto ut acquieſcere nequeo Cel. Lanciſio putanti nigerrimos ſanguinis grumos, vid. lib. de Aneuryſmat. prop. 61. p. 146. in cyſtide aneuryſmatica ſimul interdum admixtos laminis polypoſis nihil aliud eſſe „ quam aggregatum particula„ rum ſanguinis nimium excoctarum, ſeu capita-mortua, ter„ rea ſalina & tertarea vetuſti ſanguinis; „ ſic ægre admodum intelligo, cavos gigni Polypos in viventibus poſſe. Nam ad primum quod attinet, non ſatis video, cur excoctus caputque mortuum appellandus ſit ille ſanguis, qui a reliquo ſanguine nihil quicquam recedit; quod ſi hiſce nominibus propter nigrum ejuſdem colorem inſignitur, non video, cur non ſimiliter appellari debeat excoctus ſanguis, qui cruſtæ ſubjacet emiſſus, quique in cadaverum vaſis eſt, niſi ſi liberiori aeri fuerit expoſitus, ſanguiniſve ſero diviſus. Ideoque eum ſanguinem, qui inter Polypi tunicas a Cel. F. Ruiſchio deſcripti obſ. 38. v. Lanciſ. lib. de Aneuryſmat. prop. 61. p. 145. *copioſus & coagulatus delitescebat*, non excoctum, neque caput mortuum, ſed verum ſanguinem reliquoque parem ſic arbitrari convenit fuiſſe, ut ſuam ipſe quoque cruſtam excitaverit. Ad alterum autem quod ſpectat fateri poſſum, me nondum cavos vidiſſe Polypos intus ſanguine vacuos, licet nonnullos ſecuerim eorum, quos cavos appellant. Semper enim vidi coactum intus ſanguinem, unde dubitare non deſii, an intro contentus

ille ſanguis pars grumi rubra fuerit polypoſa cruſta undique obducta. Eoque magis dubitavi, quia inſpecto diligenter hujuſmodi grumo nudis modo oculis, modo microſcopio inſtructis concreti ſanguinis fibrillæ ſuper inductæ cruſtæ inſeri videbantur, ipſaque cruſta eandem prorſus firmitatem nanciſcebatur, eundem colorem cinereum, cum rubicundis quibuſdam maculis, eaque demum omnia quæ tum in reliquis Polypis, tum in cruſta educti ſanguinis ſolent deprehendi, licet in duobus ſubjectis aortæ parietes prope cor aneuryſmate affectæ, non modo maxime dilatati, ſed intus etiam oſſei fuerint. Veri ne ſimile eſt, progreſſu temporis Polypos arteriarum ſanguiniſque ictibus continenter expoſitos nihilo plus duriores fieri, quam ſit cruſta educti ſanguinis, dum interim Polypum continentes arteriarum parietes in os vertuntur? Accedit inſuper me fere omnes quos ſecui hujuſmodi Polypos haudquaquam ſanguini traducendo idoneos inveniſſe, propterea quod nec ubique cavi eſſent, nec ita cavi, ut ſanguinem excipere & emittere poſſent.

XXV. Ceterum quamvis rationes atque obſervationes hactenus allatæ ſint hujuſmodi, quæ perſuadere videantur, nullos Polypos in viventibus excitari; tamen experimenta Viri Præſtantiſſimi ac Cel. Jo. Mariæ Lanciſii judicium hac ſuper re conantur ſuſpendere, uſque dum ea ipſa experimenta melius innoteſcant. Is enim in lib. de Aneuryſmat. prop. 38. p. 124. „ Probat „ inquit „ ——— noſtrum de „ generatione Polypi aſſertum ipſa experientia, quam ſæpe in „ canibus firmavimus: etenim denudatam apud illos unam ex „ arteriis Iliacis cerato filo ante conſtrinximus, deinde curan- „ dum vulnus eorundem ſalivæ relinquentes poſt 15. aut 20. „ dies ſecta per longum arteria expoſitam polypoſam concre- „ tionem citra ligamen offendimus; quam quidem concretio- „ nem canalis cavum ita oppleviſſe animadvertimus, ut etiam „ ſi ſoluto vinculo omnis tubo libertas redire potuiſſet, ob- „ ſtructio tamen ab irruente poſtmodum ſanguine non omni- „ no tolli voluerit, quia nempe ſubſtantia polypoſa, vel nun- „ quam, vel nonniſi longo tempore, ſeu repetitis preſſioni- „ bus, & ſalis volatilis alluvione rurſus diſſolvi poteſt. Ad- „ vertendum ulterius duximus nos vel nullam, vel minimam

„ dum-

„ dumtaxat lateraliter canali hærentem inveniſſe polypoſam
„ ſubſtantiam, ubi compreſſio & conſtrictio non adeo valida
„ adhibita fuerit, unde fluxus liquidi a ſuperiori ad inferius
„ arteriæ ſegmentum ſubito non reſtiterit, ſed adhuc utrum-
„ que perduraverit: torrens enim ſanguinis cum ad ſtrictum
„ locum pertingit, partim reverberat, partim vero impetu ma-
„ jori fluens craſſiores ſanguinis partes ſecum abripit. Sed in
„ humanis corporibus ægritudine aliqua tentari cœptis res ali-
„ ter poteſt evenire; nimirum ut vitium conſtrictionis canalis
„ illico jungatur cum vitio fluidi ad ſtagnandum apti, unde
„ polypoſa concretio, quæ tubi culpa non accideret, vitio flui-
„ di acceleretur. „

XXVI. Si hæc ita ſunt Aletophile quid plura? At cum eadem ipſa experimenta iterum ac ſæpius repetenti mihi, res male ceſſerit, nec ullum Polypum in ligatis canum arteriis mihi videre contigerit, te etiam atque etiam oro, ut cum plurimum rei medicæ interſit ſcire, gignantur ne in viventibus Polypi, an ſolum poſt mortem oriantur; te inquam etiam atque etiam oro, ut nullum laborem refugias, quo ad effici Polypum in aneuryſmate oſtenderis, velut a Prælaudato Lanciſio compertum eſt.

XXVII. Sin Polypos ante mortem nullos in ligatis arteriis fieri & tu ipſe, & alii forte animadverterint, non modo morbi Polypi cordis dicti curationem moliri, quam poſtulat, Medentes poterunt, ſed aliorum etiam morborum, quos a Polypis originem ducere exiſtimant. Quidni? An majoribus pulmonum vaſis inſidentes Polypos, non legitur, aſthma convulſivum, hydropem thoracis, catharrum ſuffocativum, enormem hæmopthyſin, vehementemque & acutum pulmonum morbum efficere? An tibi novum eſt in ſinibus duræ matris immorantes Polypos epilepſiæ, affectionum apoplecticarum, pertinacis cephalagiæ morborumque ſoporoſorum cauſſam eſſe, arbitrari virum Præclariſſimum: eoſdemque in vaſis imi ventris majoribus genitos tumores œdematoſos, & hydropem inducere? At ſi ibi nihil ſalutare eſt, ubi cauſſa morbi ignoratur, curabuntur ne igitur recte ii morbi, quorum cauſſa Polypus, qui dumtaxat poſt mortem oritur, eſſe dicitur?

Ne-

Neque solum, ubi Polypi nullus erit metus, aditus ad caussam morbi assequendam patebit, sed etiam vitari mala poterunt, quæ a curationibus proficiscuntur, quæ adhiberi solent Polipo. Sunt enim qui Polypo mederi censent abstinendo a remediis, nec quicquam ajunt prodesse aliud, præter alimenta huic morbo opportuna; sunt qui curationem per remedia maxime necessariam esse volunt, si non ad sanandum ægrum, ad vitam certe producendam, seu extenuando Polypum, seu eidem materiam subtrahendo, ne nimium celeriterque increscat. Qui medicamenta sustulerunt, quamquam id recte faciant, quod neque ægri convellant vires, nec remediis utantur sæpe morbum augentibus, laudandi tamen non sunt, ostendente nimirum usu, morbos signa Polypi habentes post adhibita remedia ex toto desiisse, sæpissime vero inclinatos fuisse, cum caussa morbi remediis tolli nequiverit. Quod si alimento ad remedium utantur extenuandi atque exsiccandi vi prædito, eos profecto lædent, quorum oportet corpora, ut ait Hipp. lib. 6. Epid. sect. 2. παχῦναι, λεπτῦναι, μαλθάξαι. Quo vivendi genere post sanguinis missionem usum, etsi plurimos persanasse Galenum palpitatione cordis tentatos legimus, eo tamen semper uti, semperque convenire arbitrari, æquum non est, nimirum propter caussas palpitationem creantes diversas, quæ fortasse Galenum fugerant humana cadavera aut non dissecantem, aut quam paucissima.

Ceterum si hujusmodi alimenti usum parum tutum esse cognoveris, quanto magis erunt metuenda medicamenta extenuantia, & salina, saleque volatili, aut acido prædita, uti & ea quæ ex marte, quæque ex mercurio parantur ad discutiendum Polypum?

Atque ut plures sileam morbos, qui signis Polypi decipere solent, in quibus modo recensita remedia haudquaquam conveniunt, sæpe quoque noxam augent; si quis aneurysmate laboraverit, seu aortæ trunci, seu lævi cordis ventriculi (hæc siquidem specie Polypi præ aliis fallunt morbis) qui unquam poteris sine summo vitæ discrimine hisce remediis pugnare? Quippe quæ sanguinem exagitant ejusque motum adaugent medicamenta, tanto pejora exsistunt, quanto major urget necessi-

tas

tas sanguinis cohibendi motus & caloris. Siquidem quo plus sanguinis intenduntur vires, eo plus solidorum renixus infirmatur, unde brevi vita aperto aneurysmate improvisa morte finitur. Quid quod mercurialia remedia, quibus tantum hodie tribuunt Eruditi Viri, ut fere nullum longi difficilisque morbi genus sit, quod sine his curari posse existiment, in aneurysmate convenient? Quæ sane ut in gallicis ægritudinibus proponenda sunt merito, inque aliis quibusdam morbis necessaria interdum esse fatendum est, sic in quamplurimis aliis admodum vereri oportet, & præsertim in aneurysmatibus, quæ si forte desint, valde metus est, ne horum ope excitentur.

„ Rationem autem inquirenribus nobis „ inquit Lancisius lib. de Aneurysm. prop. 34. p. 120. „ cur interdum malum hoc „ ex hujusmodi causa suboriatur, duæ præsertim occurrunt: „ altera ex hydrargiri vi, altera ex peculiari corporis in quo „ morbus excitatur qualitate; nam non semper & ubique, sed „ tantummodo certis accedentibus conditionibus hydrargiri „ litu nascitur aneurysma. Omnis autem hydrargiri vis in ex„ citandis aneurysmatibus reposita est in momento impetus, „ quo lympha & sanguis attenuati quaquaversum urgentur & „ debaccantur; qui quidem liquores quoniam admixtione sa„ lium acidorum intra ægrum corpus erodentes evadunt, faci„ le possunt cunei instar vasa impellere ac distrahere. ——— „ Ex iis autem quæ hactenus dicta sunt prudens medicus jure „ poterit concludere in nullo aneurysmate; etiam si a lue gal„ lica profecto, locum habere mercurialia, & præsertim in for„ ma litus. „

Sed adhuc alia addit Eruditiss. Michelottus in epistola ad Præclariss. Virum F. M. Zanottum Comment. Bonon. p. 427. „ Quamquam enim „ ait „ Doctissimo Lancisio Aneurysma„ tibus syphillidem comitem habentibus correptis mercurii „ usum prudentissime interdicenti largior: tunicarum disten„ siones, discissionesque, & ab angulosis corpusculis cunea„ tim findentibus nonnunquam fieri, & faciliori negocio in „ truncis ramisve arteriarum incurvatis intortis conglomera„ tis, obstructis gracilibus minusve *elasticis* progigni ab flui„ dis, vel contentius vel summa copia a corde emissis: nihilo

„ tamen

„ tamen secius, arterias vel naturali capacitate figura positu & „ membranarum robore instructas, ab mercurii litu aut alia „ quacunque ratione, morbi gallici curandi causa, nostris „ corporibus satis uberi copia ingesti massulis magnum pondus „ in parvo latens volumine continentibus, naturali, ordina- „ riaque cordis virtute in harum ipsarum arteriarum internos „ parietes impulsis aliquando nullis intervenientibus acidorum „ salium cuneis, eo distensionis redigi non posse ut tandem „ dehiscant, plane, atque omnino nego. „

Doctissimus demum Albertinus in eisdem Comm. Bonon. p. 440. hæc habet: „ De mercurii vero, & mercurialium usu „ cogitationem omnem abjecimus, ex quo dubitavimus ea ne „ plus mali structuram enervatam magis labefactando, suo ni- „ mirum pondere, & vi, qua pollent, solvente, an plus com- „ modi polyposam concretionem discutiendo forent allatura. „ Videntur autem mercurialia eam noxæ culpam non effugere. „ Siquidem meminimus virum, cum ex dato mercurio dulci „ salivam profunderet, contumaci cordis palpitatione corre- „ ptum fuisse: deinde alium ab eodem mercurio nunc dulci, „ nunc vivo intus sumpto, ex præcordiorum aneurysmate tan- „ dem enectum: aliumque præterea ab illito mercurio post an- „ nos aliquot dilatatione dexteræ cordis auriculæ, & pericar- „ dii hydrope correptum obiisse. „

Neque alienum est de sanguinis detractione dicere; qua uti præstantius nullum auxilii genus est, si recte adhibetur; per hanc enim celeriter tuto & jucunde securitatem vitæ consequimur, sic periculosius nullum est, si quis ea male utatur; quippe ægri vires perdit, hominemque subinde sæpe jugulat. Fieri autem vix potest, ut quis ea recte utatur curationem molitus Polypi. Siquidem fere nulla ægritudo est, in qua plus sanguinis mittitur. Nam postquam per initia, imo progrediente etiam morbo tantum sanguinis demptum fuerit, quantum vires patiuntur & morbus desiderat; toties deinceps sanguis mittitur, quoties accesserit, vel plus æquo afflixerit, seu cordis palpitatio, seu difficilis spiritus, subeunte scilicet metu, ne, si subsistat ad Polypum sanguis ultra progredi non valens, mortem repente inferat. Ideoque cum hæc reverti mala exiguis

inter-

interpoſitis temporibus ſoleant, male ſanguis mittitur: vis enim ſi quæ ſupererat emoritur, morbuſque brevi in cachexiam atque hydropem deſinit.

At enim inquies perituro homini nullo alio modo ſuccurri melius poſſe, ſatiuſque eſſe cachexiam atque hydropem ſubire ægrum, ubi tempus remediis patet, quam mortem. Enim vero, etſi interdum evenit, ut quem vehemens palpitatio, aut ſpiritus affligit difficilis, mors extemplo occupet; quum videlicet ſanguis onere laborat ſuo, ita ut aut repentina ſuffocatio incidat, aut diſruptio aneuryſmatis ſequatur; ſi tamen per initia morbi ſuccurritur mittendo ſanguinem, & conſiſtente etiam morbo ſi opus fuerit, nec copia ſui male ſanguis habeat; repentinæ mortis vix metus erit, ut ut in ipſa acceſſione; videlicet quum ſpirandi difficultas revertitur, & cordis palpitatio; facies rubeat plenæque tumeant venæ. Illud etiam præteriri haudquaquam debet ſæpe in hujuſmodi morbis ſpiritum reddi difficilem, animique defectiones, & cordis palpitationem accedere, poſt animi corporiſque motus, poſt ſomnum, poſt cibum, poſt alvi dejectionem, atque alia hujuſmodi: quæ tamen mala brevi poſt ſponteque finiuntur, ut opus non ſit ad ea confugere præſidia, quæ ſine periculo eſſe non poſſunt. Ceterum, ne quis me αἱμοφόβον arguat, ſi quiſquam mittendi ſanguinis fuit unquam cupidus, ego profecto is ſum, dum morbus hoc remedium poſtulat, & vires ſuſtinent, & ſigna adauctæ molis ſanguinis adſunt, quæ a Doctiſs. Lanciſio in lib. de Aneuryſm. Prop. 42. p. 128. enumerantur videlicet *ſegnities ad motum, præcordiorum anguſtia, capitis gravitas, calor, aut dolor*. Atqui quantum eos diligo qui hoc præſidio recte utuntur, tantum ab iis abhorreo, qui in pleuritide ac peripneumonia, quæ a Polypis pleuræ pulmonumque vaſa occupantibus naſci putant „ nunquam præſcribere ceſſant „ ut Eximius Baglivius inquit Prax. Med. lib. 1. cap. 9. §. 1. p. m. 25. „ ſales volatiles, pulveres acres, acutos ſolventes, aquas nimium diaphoreticas, & ſimilia, quibus fere ſaginant, ſatiantque ægrotantem cum per ea non ſolvunt quod ſolvere conantur, ſed irritatis magis, criſpatiſque Pulmonum fibrillis, fluidorum circulationem impediunt, ac

„ veluti ſtrangulant , mortemque quam citiſſime ſollici-
„ tant . „

Quæ ſi diligenter animadverteris , non eum modo , quem cordis tenet palpitatio , aut cui ſpiritus difficulter movetur , atque animus ſæpe deficit , inæqualiſque atque intermittens pulſus continenter eſt , quique demum periturus eſt , ſervare diutius poteris , ſed etiam clades avertere , quæ haud raro in non lethalibus morbis accidunt inſcitia medentium.

En , Alethophile , quanti rei medicæ interſit noviſſe , gignantur ne , an non gignantur in viventibus Polypi . Age igitur dum manum operi admove , experimenta Doctiſs. Lanciſii , quibus fieri in viventibus oſtendit Polypum , eo uſque renova , dum & ipſe natum eundem in viventibus videas : quem ut primum offenderis , cum ego eum ipſum , etſi nulli labori pepercerim , nequicquam tamen ſemper quæſiverim , ſtatim ſpero fore , ut tu mihi veritatem aperias inquirenti veritatem . Vale .



RE-

RERUM INDEX

A

C

T

V

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. Frà Tommaso Manuelli Inquisitore, nel libro intitolato: *Andreæ Pastæ Bergomatis Epistolæ ad Alethophilum duæ: Altera de Motu Sanguinis post mortem Altera de Cordis Polypo in dubium revocato*, non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica; e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi; concediamo Licenza a *Giovanni Santini*, *Stampatore in Bergamo*, che possa essere stampato osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia e di Padova.

Dat. li 5. Febbrajo 1736.

(Michel Morosini Cav. Rif.

(

(Pietro Grimani Cav. Proc. Rif.

Agostino Gadaldini Segret.

ER-

ERRATA SIC CORRIGITO

Pag.	4.	Lin.	17.	jnfra	infra
	15.		37.	*portandns*	*portandus*
	53.		10.	*ſigillis*	*tigillis*
	61.		30.	ϛερεόν	ϛερεὸν
	31.		3.	ἐιμι	ἐιμὶ

